A mon collègue et ami Berviolle
Hommage très sympathique
[illegible]
Hommage très sympathique
[illegible]
Docteur ès Lettres

DE

P. OVIDII NASONIS

EPISTULIS HEROIDUM

MATISCONE, EX TYPIS FRATRUM PROTAT.

QUAESTIONES

AD

P. OVIDII NASONIS

EPISTULAS HEROIDUM

ET PRAECIPUE

HORUM CARMINUM ARTEM PERTINENTES

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Marius PIÉRI

In Massiliensi Lycaeo rhetoricae professor

MASSILIAE

APUD LAFFITTE FRATRES, BIBLIOPOLAS

Via dicta Boulevard du Musée, 1

MDCCCXCV

INDEX CAPITUM

ERRATA :

p. 48, lin. 3, — lege — in ora
« 58, « 23, « vela
« 9~~0~~, « 1, « fuerit.
« 67, « 25, Adde et passim

Nuper, cum in manus incidisset de Ovidio Disputatio [1], quam olim Facultati litterarum Parisiensi laudatissimus professor proponebat, coepi egomet considerare quam pauca de illo poeta huius generis scripta a studiosis viris edita essent. Quasi enim Ovidius numerus sit, neque statim post Lucretium, Vergilium Horatiumque primas inter Latinos teneat, haud frequenter in Gallia quidem operam impenderunt ut huius virtutes vitiaque excuterent; et si quando eius carmina in disceptationem venerunt, Amorum, Metamorphoseon Fastorumque libri multo digniores visi sunt qui eruditorum virorum animos et studia retinerent, vix autem Epistularum, Heroidum nomine scriptarum, mentio habita est [2].

Inde mihi occurrit cogitatio et voluntas aliquid pro virili parte de Her. Epistulis scribendi, quia laudibus illae dignissimae videbantur. Ad peragendum consilium stimulabar, cum perpenderem quanto in honore illae apud eminentissimos decimi quinti et sexti saeculi viros fuissent; nam J. C. Scaliger, Poet. VI, c. VII : « Epistulae, inquit, omnium illius librorum politissimae »; et posterius Rapin, in Comparatione Homeri et Vergilii, c. XI : « Ego, inquit, Heroidum epistulas semper appello florem elegantiae romanae. »

1. Nageotte, *Ovide, sa vie et ses œuvres*, Thèse, Paris, Thorin, 1872.

2. M. Meyer, *De recitationibus et de Ovidio*, Thèse, 1842; L. Lacroix, *Recherches sur la religion des Romains, d'après Ovide*, Thèse, 1846; Guill. Breton, *Metam. libros Ovidius quo consilio ceperit, qua arte perfecerit*, Thèse, Paris, Hachette, 1883; J. Favre, *De Ovidio novatore vocabulorum in Metam. libris*, Thèse, Paris, Garnier, 1885.

Nobis igitur opus incohantibus nulla sane subsidia defuerunt, quae quidem ex grammaticorum emendationibus, notis criticis et coniecturis essent exspectanda, aut ad verba, orationem, et res, quae antiquitates appellantur, explicationemque fabularum, pertinerent. Etenim iam a tribus saeculis unaquaeque aetas viros tulit qui in recensendis et sanandis his carminibus elaborarunt. Ideo doctissimos Her. Epistulae emendatores inter alios habuerunt ex vetustioribus Naugerium, Micyllum, Ciofanum, tum felicissimum et optime de Ovidio meritum Nic. Heinsium, cui aemulus occurrit P. Burmannus et deinceps Van Lennep. Illorum copias criticas et grammaticas, ut eminentissimos tantum attingam, accuratissime digesserunt apud Gallos Amar, apud Germanos J. Chr. Jahn, V. Loers, R. Merkel, A. Riese, H. St. Sedlmayer, quorum sagacitas et doctrina non parum ad absolutionem scripturae et interpretationis contulit [1].

Quaestiones vero arduas hae epistulae inter eruditos viros de huius carminis inventore, genere, nomine, authentica scripti fide moverunt, de quibus laudatissimi Jahn, Loers, Lachman, Merkel, L. Mueller, alii, diversis sententiis et ratiocinationibus disputarunt; recentissimis praecipue temporibus studiosa cohors apud Germanos quidem Her. Epistulas diligenti manu versavit et plurimas commentationes ad haec carmina pertinentes protulit [2]. Quanquam horum doctissimas disceptationes nobis multum profuisse supervacaneum est addere, leviter illi attigisse videntur quid in universum de Epistulis et de earum genere, argumento, oratione, virtutibus denique et vitiis sentiendum sit; nam in excutiendis difficultatibus quae plurimum eruditionis requirunt, de editionis tempore et auctoritate, illi quidem operam diligentissimam navarunt; de ipso autem poeta eiusque ingenii indole et propria Heroidum ac peculiari natura obiter tantum locuti sunt.

Quae cum ita sint, hanc materiam retractare placuit et quasdam de Her. Epistulis quaestiones praecipue explanare. Nam quale in

1. Indicem veterum editionum in octavo edit. Lemairianae vol. reperies; recentiores recognoscit Teuffel in Geschichte der Röm Litt. 5ª edit. von Schwabe, Leipsig, 1890.

2. Posterius eae, data occasione, commemorabuntur.

his Ovidianum ingenium eluceat et quaenam insignes sint eius notae, virtutes vitiaque, certis ac pressis argumentis hac disputatione qualicumque constituere propositum mihi fuit; ad opus tamen perficiendum et poeticam horum carminum artem enucleandam necesse fuit examinare quasdam doctorum virorum sententias quae ad has epistulas pertinerent, et quid de earum tempore et nomine, de inventore et genere, additis paucis de scripturae fide, clarius appareat, quantum exiguis viribus efficere possem, aestimare. Ego vero operam meam non periisse existimabo, si nonnihil ad accuratiorem Epistularum et ipsius artificis cognitionem contulero.

CAPUT I

QUO TEMPORE OVIDIUS HEROIDUM EPISTULAS EDIDERIT, ET QUO NOMINE.

Epistulae Heroidum in carminum numero reponuntur, quae iuvenilia Ovidii dicuntur, quia eorum pleraque argumentum ab amore sumunt, cui materiae iam ab anno aetatis vicesimo primo poeta incubuit, sicut apertum fit ex quibusdam Amorum, III, 1, 59, et Tristium III, 12, 15, locis :

Prima tuae movi felicia semina mentis...
Cum Thebae, cum Troia foret, cum Caesaris acta,
Ingenium movit sola Corinna meum [1].

At quoniam carminibus amicam celebrantibus primum innotuit cum illi « barba resecta bisve semelve fuit », ad radendam vero barbam requisitum esse ter septenarium numerum affirmant grammatici ex loco Macrobii, scilicet sub annum aetatis XXII [2], hinc facile colligimus ab Ovidio statim circa hanc aetatem iuvenilia lecta populo esse, vel potius, secundum usum aliis poetis sollemnem, in amicorum litteratorumque coetu recitata. Neque hanc materiam ante annum aetatis quintum et quadragesimum reliquit, siquidem constat Amorum libros, Heroidum Epistulas, Artem Amatoriam, Remedia Amoris, Medicamina faciei iam absoluta et edita fuisse quo tempore ad Fastos Metamorphosesque se convertit, 755 ab U. C. [3].

Quo vero anno Heroidum epistulae publici iuris factae sint, statuere difficilius est, quia in his carminibus, utpote ad antiquitatem pertinentibus, nihil deprehendas, sive facta, sive mores spectes, quod tempus editionis illustret. Hoc tantum compertum habemus, illas ante Amores lucem vidisse, quoniam in his

1. Cf. *Trist.*, IV, 10, 57-60.
2. Cf. Masson, *Vita Ovidii*, in edit. Lemairiana, p. 133.
3. Cf. *Trist.*, I, 7, 13 sqq.; II, 549.

illarum mentio reperitur. Restat ut Amorum editionis aetatem disquiramus, quae tamen statui non poterit, nisi prius de Art. Am. et Rem. editione breviter disputaverimus.

Nam de iuvenilium ideoque etiam Heroidum tempore disceptatio a Rem. editione pendet, quae vulgata esse ab U. C. 754 optime probavit Masson, Vit. Ov., p. 167. Rem ipse indicavit Naso dum canit C. Caesarem iam se ad Parthicam expeditionem accingere, quae anno 752 extremo aut 753 incipiente [1] acta est, Rem. v. 155 :

> Ecce fugax Parthus, magni nova causa triumphi,
> Iam videt in campis Caesaris arma suis.

At poeta nusquam pacem agitatam fuisse innuit, quam compositam esse anno 755 U. C. evincit doctissimus Masson, l. c. ; immo Parthum adhuc fugientem inducit, unde non male colligitur editionem Rem. anno 754 in lucem prodiisse.

Iam vero Ars Amatoria edita fuerat, quoniam in Remediis, v. 12, *praeteritum* opus appellatur. Nunc si res perpenderimus quarum in eo poemate mentionem Ovidius facit, tempora statuere poterimus intra quae exarata Ars Am. fuit. Certe eam emittere ante annum U. C. 752 non potuit auctor [2]; primum enim indicium ex eo affertur quod naumachiam commemorat, ut modo celebratam, quam anno 752 aestivis mensibus actam esse apparet ex Vell. II, 100 : « in urbe, inquit, eo ipso anno quo magnificentissimi gladiatorii muneris naumachiaeque spectaculis Divus Augustus abhinc annos triginta, se et Gallo Caninio coss., dedicato Martis templo, animos oculosque populi romani repleverat, foeda dictu memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit. » Quamvis quo mense illa templi dedicatio peracta sit disputatum sit inter grammaticos (cf. Masson, p. 154 sqq.), apparet intra kalendas Julias huius anni et Sept. finem certe circumscriptam illam esse, quoniam Augustus hoc anno ab initio ad kal. Octobris, Gallus Caninius a kal. Juliis ad exeuntem annum consul fuit.

1. Cf. Vell. Paterc., II, 100 sqq.

2. De tota hac quaestione, Cf. Jos. Heuwes, *De tempore quo Ovidii Amores, Heroides, Ars Am. conscripta atque edita sint.* 57 p. Rheinae Guestfalorum, 1883.

Praeterea in eadem Arte Am. mentionem poeta facit C. Caesaris illam adversus Parthos expeditionem parantis, quam ductam esse a. U. C. 752 supra ostendimus, Art. Am., I, 177 :

> Ecce parat Caesar, domito quod defuit orbi,
> Addere : nunc, Oriens ultime, noster eris...

Unde colligi facile potest ipsam quoque Artem sub finem huius anni vulgatam esse [1].

Deinde statuendum est quo anno hoc poema scribi sit coeptum; quod ante a. U. C. 744 vix incohari potuit, quoniam in eo Ovidius Liviae Octaviaeque porticus et Marcelli theatrum, tanquam nota iam et exaedificata describit, Art. Am., I, 71 [2]. Nunc si Dioni historico fides habenda est, Liviae porticum apparet post annum U. C. 740 constructam esse, unde patet Artem quoque non nisi post haec tempora scribi coeptam [3]. Maxime vero in hanc rem facit theatrum Marcelli, quod duobus locis Art. Am. Ovidius commemorat, I, 69, III, 394 sqq. Pompei enim theatrum solum Romae ante exstitit, quam theatra Balbi et Marcelli constructa sunt. At si ad Plinium maiorem te rettuleris, liquebit dedicatum tertium Romae hoc theatrum esse a. U. C. 743, ideoque ante hoc tempus reici non posse prima huius Artis exordia; Plinii autem verba haec sunt, Hist. nat., VIII, 25 : « Quinto Tuberone, Fabio Maximo coss. IV Nonas Maias, 743, theatri Marcelli dedicatione tigrim primus omnium ostendit (Augustus) in cavea mansuefactam. »

Igitur Ars Am. intra annos U. C. 744-753 compositam et perfectam esse apparet. In ea autem commemorantur Amorum libri, III, 339 :

> Deve tribus libris, titulo quos signat Amorum,
> Elige quod docili molliter ore legas.

Unde certum est eos ante Art. Am. emissos esse. Neque tamen ex his versibus de editionis anno certa fit conclusio, quo-

1. Cf. Masson, *op. cit.*, p. 160; J. Heuwes, *op. cit.*, p. 8.
2. Cf. *De Liviae et Oct. port. Art. Am.*, III, 391 sqq., *Fast.*, VI, 639 sqq.
3. Dion. L. LIV. Cf. Masson, *op. cit.*, p. 150. Anno 747 dedicatam porticum dicit J. Heuwes, *op. cit.*, p. 6.

niam Ars vix a. U. C. 753 in publicum prodiit; nam fieri potest ut hi versus, quemadmodum in alia carmina multi, serius a poeta in hoc opus sint inserti. Constat saltem Am. libros anno fere U. C. 732 incohatos esse, neque ante annum 739 relictos, cum ipse poeta declaret circa aetatis suae annum vicesimum primum ad carmina iuvenilia se convertisse, Trist., IV, 10, 56. At non ante annum 739 vulgari potuerunt Amores, in quibus Sicambros victos commemoret Ovidius, I, 10, 47 sqq.; cum illis autem, Dione teste [1], bellum anno 738 gestum est et sub anni finem pace finitum. Quin etiam ne ante quidem annum 744 publicari potuerunt Am. libri, in quibus Art. Am. exstet mentio, II, 18, 19 :

> Quod licet, aut Artes teneri profitemur Amoris :
> Ei mihi, praeceptis urgeor ipse meis.

Atqui si recte supra collegimus Art. Am. compositionem ante an. 744 institui non potuisse, igitur ne Am. libros quidem tunc vulgatos fuisse apparet.

Sed de certo editionis anno nihil liquet, quia minime huc faciunt quae in Am. libris poeta de rebus illo tempore gestis rettulit. Quanquam enim felicia Caesaris arma, I, 2, 51; bellum extremum, I, 8, 40; Aeneidos Vergilianae editionem, I, 15, 25; Caesaris templum, III, 8, 52; Tibulli mortem, III, 9, 5; aliaque memorat, ea aut incerta, aut anteriora, quam Sicambrorum bellum, sunt. Firmiter igitur in eo subsistendum est, quod Am. libri intra annos 744-752 prodierunt. Sed aliam difficultatem hoc suscitat epigramma quod illis Ovidius praemisit :

> Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
> Tres sumus : hoc illi praetulit auctor opus.
> Ut iam nulla tibi nos sit legisse voluptas,
> At levior demptis poena duobus erit;

ex quo loco docti viri [2] concluserunt Amores bis editos esse; primum enim quinque libros distinctos et publicatos fuisse, postea recensos eosdem et castigatos, ut qui secunda vice ede-

1. L. LIV. Cf. Masson, *op. cit.*, p. 147.
2. Cf. Masson, *op. cit.*, p. 148; Jos. Heuwes, *op. cit.*, p. 12 sqq.

rentur, tres tantum superessent. Attamen dubia videri potest huius loci interpretatio. Non enim inde patet quinque primum Am. libros vulgatos, deinde ad trium numerum redactos editione nova esse; sed fortasse significare Naso voluit se prius carmina in quinque libros collegisse et penes se habuisse, deinde vero, antequam ederentur, maluisse recidere quae supervacanea viderentur, et rebus coartatis tres tantum libros expromere. Nulla certe causa apparet cur duplicem editionem protulerit poeta; quibus enim videntur bis prodiisse Am. libri, ne ipsi quidem censent id ab Ovidio factum ut carminibus pluribus deletis meliora reponeret [1], sed ut eorum numerum minueret. In operibus porro recensendis alia erat veterum ac nostratium ratio; nam illi tunc solum emendasse scripta sua videntur, cum illa aut diversis temporibus, sicut comoediae et tragoediae, in publicum emitterentur, aut, sicut Apollonii Argonautica, explosa priore recensione essent. Nusquam vero indicium eminet huiusmodi causis adductum Nasonem esse ut carmina emendaret et denuo vulgaret; alioqui rem ipse fusius indicasset. Vix etiam fieri potuit ut nullum planius huius rei testimonium nobis innotuisset, si vere duplex editio exstitisset. Nam si libros quinque poeta primum emisit, haud dubium videtur, quin multis exemplaribus illi vulgati fuerint. Quomodo igitur accidere potuit ut nusquam in codicibus vestigium prioris editionis ne minimum quidem inveniatur? Quid, quod apud veteres grammaticos nullum illius fragmentum ac ne mentionem quidem reperias? Diligentem in emendandis Am. libris curam saltem commemorasset Seneca aut Quintilianus, qui fusum Ovidii impetum et nimiam indulgentiam saepius reprehendunt. Nam eorum temporibus prior editio, siquidem exstitisset, non ita evanuisset ut huius ne memoria quidem permaneret. Denique non is erat Naso qui opus iam perfectum et vulgatum accuratius retractaret, quippe qui ne amicorum quidem reprehensione facile adduceretur ut carmina vel leviter emendaret; non enim in discernendis vitiis suis huic deerat iudicium, sed voluntas, sicut liquet ex Senecae

1. Causam cur alteram editionem paraverit Ovidius, nullam aliam, nisi formam carminis, fatetur fuisse Jos. Heuwes, *op. cit.*, p. 30.

verbis, in Declamatione, II, 11, haec narrantis : « Rogatus aliquando ab amicis suis ut tolleret tres versus, petivit invicem ut tres exciperet, in quos illis nihil liceret. Conscripserant illi quos tolli vellent, secreto hic quos tutos esse vellet. In utrisque codicillis iidem versus erant. Ex quibus primum fuisse narrabat Albinovanus Pedo, qui inter arbitros fuit :

Semibovemque virum, semivirumque bovem,

secundum :

Egelidum Borean, egelidumque Notum :

ex quo apparet summi ingenii viro non iudicium defuisse ad compescendam licentiam carminum suorum, sed animum; aiebat enim decentiorem esse faciem, in qua aliquis naevus inesset. » Igitur diversas illas ob causas reicienda videtur duplex editio, neque aliud versibus exagitatis indicavit poeta quam severam castigationem qua iuvenilia carmina coercuit, antequam vulgaret.

In monumentis igitur antiquitatis, quod secundam recensionem testetur, nihil omnino reperitur. Iam si perpendas genus et materiam operis, intellegas quam consentanea Ovidianae iuventae pars haec operum sit, utpote argumento ex amoribus deducto imprimis iuvenilis. Si et illud respicio, a poeta nostro, quanquam laudis cupidissimus esset et, Corinna per urbem cantata, ingenii magna fama floreret, nullum maioris ponderis opus iam tum, praeter Medeam fabulam, editum fuisse, vix credibile mihi videtur emissos tardius in publicum Am. libros. Hoc quoque considerandum venit, quod ante relegationem opera Ovidius multa magnaque perfecit, et post Amores in Art. Am., Rem. Am., Medic. faciei, Metam. Fastorumque libris scribendis occupata virilis eius aetas fuit, omniaque illa, praeter Fastos, iam absoluta sunt et edita; quae tantae quidem molis sunt, ut ad reponendos incude Am. libros tempus ipsum defuisse poetae videatur. Igitur perpensis omnibus argumentis, quae suppeditat cum Ovidii ingenium et natura atque in componendo consuetudo, tum veterum in scriptis emendandis ratio, denique temporum, intra quae maioris momenti plura opera hic edidit, respectus,

admodum probabile est mature ab eo absolutos esse Am. libros et iuvenilia haec in iuventa prima, scilicet circa aetatis XXXV annum, ab U. C. 746, edita.

Iam demum verisimilius tempus statuere possumus, quo Naso Heroidum epistulas publici iuris fecerit; quas cum sane mature incohasset, per intervalla, in componendis elegiis vacua, a Corinna ad fabulosos antiquarum feminarum amores transfugiebat, quas de amantibus queri fingebat et eis absentibus moras aut lentos amores exprobrare. Certe ante Amorum editionem has prodiisse illustrissimus ille locus docet, quo earum facit mentionem, Am., II, 18, 19 :

> Quod licet, aut artes teneri profitemur amoris,
> Ei mihi, praeceptis urgeor ipse meis;
> Aut, quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,
> Scribimus, etc.

Itaque si recte collegimus Amores circa annum 746 editos esse, haud procul a vero aberraverit quicumque Epistulas aliquantum ante tempus iam vulgatas existimarit.

At doctissimus Jahn, diversam sententiam amplexus et tuitus, poetam, cum illam elegiam ad Macrum daret, in Heroidibus scribendis maxime versatum esse censet easque anno 749 aut 750 editas [1]; cui eruditissimi viri opinioni reverenter repugnare ausim. Enimvero quod poeta vocem *Scribimus* in tempore praesenti adhibuit, non ideo verbi vis satis docere mihi videtur occupatum praesertim tunc componendis illis Esse Ovidium. Strictam nimis et rigidam interpretationem istam existimo, liberius vero intellegendas esse huiusmodi voces a poeta quolibet usurpatas; ideoque et ex verbo illo *Scribimus* parum certam fieri conclusionem crediderim et potius in genere et poetico modo, sicut saepius reperire est, tempore praesenti Nasonem usum esse. Neque in verborum nexu et in carminum historia quicquam invenitur, quo Jahni ratio confirmetur. Quin etiam illi refragatur sane, quod iam tum absoluta et vulgata exstabant A. Sabini carmina, quibus hic ad Ovidii Epistulas virorum nomine respon-

1. J. Jahn. *De Ovidii et Sabini epist.* Disputatio. Lipsiae, Teubner. Jos. Heuwes editas ante a. 752 pro certo tantum habet, *op. cit.*, p. 38.

derat; quod quidem eo ex loco patet, quo illa commemorata sunt, Am. II, 18, 27 :

> Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus,
> Scriptaque diversis rettulit ille locis!
> Candida Penelope signum cognovit Ulixis;
> Legit ab Hippolyto scripta noverca suo;
> Iam pius Aeneas miserae rescripsit Elissae;
> Quodque legat Phyllis, si modo vivit, adest;
> Tristis ad Hypsipylen ab Iasone littera venit;
> Det votam Phoebo Lesbis amata lyram.

Quomodo enim has responsiones perficere potuisset Sabinus, nisi concinnatae et vulgatae Her. Epistulae iam tum fuissent? Mihi quidem luce clarius videtur, illa Nasonis carmina absoluta et edita fuisse quo tempore illam Amorum elegiam hic componeret. Itaque non temere me facturum existimo, si circa annum U. C. 745 Heroidas publici iuris factas esse statuero; nec probanda videtur Iahni ratio, qui intra brevius annorum spatium conscripta et emissa omnia Ovidii carmina amatoria censet.

Nunc de horum carminum titulo, quoniam dubitatur, paucis disceptare refert. Non vero quicquam causae est cur nomen, quo ab Ovidio ipso appellata sint, reiciamus : qui ea quidem commemorans, planissimo verbo *Epistulas* vocat, Art. Am., III, 346 :

> Vel tibi composita cantetur Epistula voce.

In hac elegia enim poeta quendam inducit qui, hunc in arte amatoria, quasi magistrum, sectatus, ceteris huius opera indicat, inter quae Heroidum epistulas ab eo vulgatas extollit : aperta nempe illa inscriptio visa est, utpote quae libro eius praefixa esset; aut sane nomen, si necesse fuisset, fusius Ovidius explanasset. Nunc quoque singulis carminibus eadem appellatio praeponitur, Epistula I, II, etc., et hunc titulum poetae in animo versari ideoque toto volumine inscriptum saepius in plerisque exordiis credas :

> *Hanc* tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe. I.
> *Quam* legis, a rapta Briseide littera venit. III.
> Perlege quodcumque est : quid epistula lecta nocebit? IV.
> Perlegis, an coniunx prohibet nova? V.
> Nunc oculos tua cum violarit epistula nostros. XVII.

Illa initia cum considero, nomen Epistulae probabilius a poeta carminibus inditum esse mihi videtur; quae sane inscriptio et simplicissima et elegantissima erat. Aliter sentit Guillelmus Peters, qui titulum « Epistulae heroidum aut Epistulae heroides » ut plenam et antiquiorem appellationem, genuinum censet [1]; mihi vero nihil liquere ex eius argumentis videtur. Quominus tamen illa carmina « Heroides » inscripta sint, nihil sane obstare fateor; parum enim commoveor Th. Birtii rationibus, qui in libro dicto « Das antike Buchwesen », p. 379 sq. genuinum titulum « heroides » fuisse concedit, posterius autem carminibus XVI-XXI additis in « Epistulae » demutatum esse, quia Paridis, Leandri, Acontii litterae Heroidum nomine indicari non possent. Recte tali argumento respondet J. Tolkiehn [2] unicuique virorum epistulae cohaerere singulas a feminis confectas « ut illae quasi prolusiones quaedam harum haberi queant; praeterea consimile aliquid factum esse in Halieuticis Ovidianis, quibus inserta sit, vv. 49-81, animalium terrestrium enarratio ».

Neque me fallit a Prisciano X, 54, Heroides appellatas esse et eodem verbo saepe a scholiastis indicatas. In quibusdam membranis et vetustioribus editionibus Heroides sive Epistulae duplici titulo vocantur, vel Epistulae Heroidum, vel, ut vulgo editur, Heroides [3]. Istae autem inscriptiones recentioris sunt aetatis, sicut huiusmodi duplices tituli apud Platonem : Phaedrus, sive de pulchro; Convivium, sive de bono, etc. Necessarium etiam fuit postea haec carmina planiore appellatione indicari, ne qua obscuritas adesset, cum alias epistulas ex Ponto Naso scripsisset. Ita et Priscianus eas Heroides vocavit, ne anceps esset, si simpliciter dixisset : Ovidius in epistulis; et eius exemplum testimoniumque in hac quaestione posteri saepius, nec male secuti sunt. Ideo nos quoque, ut enucleatam appellationem usurpemus, has Epistulas Heroidum, vel brevius et distinctius Heroides vocabimus; ab Ovidio tamen « Epistulae » titulum inditum esse verisimilius videtur.

1. *Observat. ad P. Ovidii Nasonis her. epist.* Lipsiae, 1882. V. p. 2.
2. *Quaestionum ad Heroides Ovidianas spectantium* capita VII. Lipsiae, 1888. V. p. 7.
3. Cf. Guil. Peters, *op. cit.*, p. 1 et not. 2.

CAPUT II

DE CARMINUM GENERE, CUI HEROIS NOMEN EST, EIUSQUE INVENTORE.

Carminum genus, quod Herois inscribitur, epistulas designat in quibus non suo poeta nomine loquitur, sed alios, praecipue feminas, ad absentem de vehementiore quodam animi motu scribentes fingit.

Apud Ovidium quidem, qui carminis huius legem exemplis suis statuit, epistularum auctores in eodem omnes vitae statu versantur, id est in aegritudine et dolore amantibus solito, qui cum absenti coniungi concupiscunt. Igitur Heroidum materia angustis rei amatoriae terminis circumscripta est. Praeterea personae, non ex recentioribus temporibus et vera historia excerptae, sed ex heroico aevo et remotissima vetustate sumptae, ad amatorem procul agentem scribere finguntur. Atque hac sane parte Ovidianae epistulae ab omnibus distingui possunt, quae nostra aut superiore aetate perscriptae sunt, sive eas materia continebat amatoria, a scriptore ipso explanata, sive viri feminaeque solitas amantium querelas effundentes et molles aegri animi affectus describentes vicissim inducti sunt; quod fictum scribendi genus, Gallice vocatum *Roman*, plurimum floruit, ex quo celeberrimus nostras [1] duorum amantium sensus varios et commotiones in nobilissimo opere depinxit, illo quidem soluta oratione conscripto. At hoc quoque Ovidianis Heroidibus peculiare est, quod versibus concinnatae sunt.

Nunc si carminum horum naturam perspexerimus, ad elegiacum genus ea pertinere agnoscemus. Etenim in describendis affectibus versantur, qui plerumque dolentes et patientes amantium, feminarum praecipue, animos invadunt. Quemadmodum igitur in elegiis aut sedato orationis tenore effunduntur, aut

1. J.-J. Rousseau, *Nouvelle Héloïse.*

etiam vehementi impetu sensus erumpunt, ita in Heroidibus puellas querulas et leniter amatoribus molestas moras exprobrantes invenies, aut incitato animo et tumido ore delitigantes. Neque aliter se res habere poterat, quoniam argumentum elegiis et Heroidibus idem ex amantium gaudiis et sollicitudinibus comparatur. At poetae, qualis generis sunt Tibullus, Propertius, Ovidius ipse in Amoribus, pleraque suo nomine in amatoriis carminibus canunt; hic autem in Epistulis personas alienas describit, quae ex suo quaeque ingenio, quale ex fabulis compertum habemus aut sibi finxit poeta, animi sui motus exprimunt; unde illa quidem parte dramatici poematis participes sunt Heroides. Tragoediarum sane tenorem praesertim referunt, cum gravior quaedam et impotentior femina, ut solet, in lentum amatorem acrius invehitur et paulatim dolore exulcerata ad summam vim fervidissimosque sensus abripitur; tunc enim oratio exsurgit et incitatiore cursu trepidat, sicut affectibus par est; et nisi scires personas illas cum absentibus colloqui, est ubi meram tragoediam audire te putares. Quondam igitur Herois formam et naturam scenarum illarum videtur referre, quae soliloquia dicuntur. Haec opinio firmior etiam animo insidit, cum venit in mentem harum epistularum argumenta pleraque ex tragoediis sumpta esse, quae in scena olim actae fuerant, Ovidiique temporibus adhuc exstabant et graece et latine scriptae. Nam sive Phaedra, sive Canace, vel Hermione, vel Deianira aliave inducitur, poematum statim memoria revocatur quae ex eadem materia Sophocles Euripidesve exprompserant.

Et reipsa, collatis priorum et Ovidii carminibus, putes aliquando hoc egisse poetam ut argumentum tragicae fabulae coartatum in epistula includeret, et mutato nomine μονολόγον recitari. Evanuit solum dialogi forma, quasi muta altera persona permaneat, dum altera affectus motusque animi evolvit, et, nullo respondente, quaestionibus, aut querelis, aut ratiocinationibus excurrit. Documentum huiusce rei praebere potest heroidum una quaelibet e tragicarum feminarum choro excerpta. Nam si Phaedram audies epistula ad Hippolytum missa querentem, sensus commotionesque facile agnosces quibus iam Euripides felicissima ubertate et subtilitate in Ἱππολύτῳ στεφ. femi-

nam illam amentem effinxerat. Ita quae nuntius aut nutricula in tragoedia referebat, in epistula narrationis formam recipiunt; quae in dialogo personae disputabant, uno argumentandi tenore exponuntur; quae tumidiore ore eaedem delitigabant, hic quoque ardenti impetu per exclamationes efferuntur. Quid plura? Si coniveas et fingas a duabus personis recitari epistulas, aut responsiones interdum remissiore voce dari quam ut ad aures tuas perveniant, haud ab opinione hac abhorreas, scilicet feminas, quales Phaedra, Hermione, Medea, Hypermnestra, ex tragicorum fabulis usurpatas esse.

Hac ego mente iam disserui, ut intellegatur ad primam horum carminum cogitationem impulsum tragoediarum lectione aut compositione esse Ovidium : quae magni laboris atque arduae disceptationis est quaestio. At mihi quidem et has epistulas et carmina iam ab hoc scripta intuenti confirmatur ea sententia, quod eodem fere tempore, quo Heroides compositae sunt aut paulo ante, in tragoediis tractandis hunc versatum esse accepimus, nec sane transitus ad novum carminis genus impeditus aut longus erat; ideoque, ut summam opinionis indicem, Medea illa Ovidii principium et fons videtur esse unde Heroides effluxerunt.

De hac tragoedia firmo iudicio nihil pronuntiare possumus, quam temporum series posteritati inviderit; alioquin haud dubium est quin in illa rationem deprehendere et definire possemus, qua dramaticum aliquod poema in epistulam ab eo transmutaretur. Hunc quidem tragoediis operam diu dedisse plures eius carminum loci diserte docent [1]; inter quas Medea praesertim ab antiquis grammaticis laudatur; nam Dialogi de Orat. auctor, c. 12 : « nec ullus Asinii aut Messallae liber tam illustris est quam Medea Ovidii... » Nec parciores eidem laudes tribuit Quintilianus, X, 4 « Ovidii Medea videtur mihi ostendere quantum vir ille praestare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset. » Igitur ad scribendarum Heroidum cogitationem impulsum tragoediarum tractatione esse Ovidium existimare licet.

1. *Am.*, II. 18, 13; III, 1, 63; *Trist.*, II, 519, et passim.

Nam si evanuit tragoedia illa Ovidiana, plures a Graecis compositae supersunt, quibus vel leviter inspectis aestimare possimus quam saepe ex tragico Euripidis, Sophoclis, Aeschylique fonte epistulae illae effluxerint. Hanc sententiam Th. Birtio placuisse video, qui in *Animadversionibus ad Ovidii heroidum epistulas* [1] locos plurimos notat quibus Graeca illa imitatio deprehenditur. Ideo non solum in Medeae vel Phaedrae litteris Euripideam originem agnoscere in promptu est, sed ex Sophocle quoque in Trachiniensibus, et Aeschylo in Prometheo et Supplicibus, nonnulla deprompta esse apparet. Inde facile explicatur illa ep. IX hians compositio et interruptus post v. 142 scribentis Deianirae sermo; cui litteras ad Herculem perficienti subito advenit nuntius virum obire mortem, neque tamen desinit ista ad pereuntem scribere, eaque adicere quae non ad coniugem derigi sed ex tragica scena adumbrari videantur, ita ut in propatulo sit huiuscemodi perversitatem « sibi concessisse Ovidium nulla alia ratione quam ut totam, quantum quidem ad Deianirae fata pertinet, tragoediam sui carminis finibus complecti posset [2] ». Igitur investiganti primam Heroidum originem probabile videbitur ad excogitandum hoc poeticum genus tragicorum poetarum usum non parvi momenti fuisse.

Praeterea haud temere facias, si putes pergrata quoque poetae nostro Epistularum fuisse argumenta, quod genus referrent declamationum quibus rhetoricae professores adulescentulos in scholis exercerent; inter quos praecipue M. Porcium Latronem et Arellium Fuscum Ovidius sectatus est, qui temporibus his celeberrimi Romae fuerunt. Latronis autem adeo admiratorem hunc fuisse, ut multas eius sententias in versus suos transtulerit, auctor est Seneca pater, Contr. II, 10 : « tunc autem cum studeret, habebatur bonus declamator. Hanc certe controversiam ante Arellium Fuscum declamavit, ut mihi videbatur, longe ingeniosius; excepto eo, quod sine certo ordine per locos discurreret. Haec illo dicente excerpta memini etc... Declamabat autem Naso raro controversias, sed non nisi ethicas; libentius

1. In *Rheinisches Museum für Philologie*, A. 1877, p. 386-432.
2. *Ibid.*, p. 408; cf. de Ius fabula, p. 427.

dicebat suasorias. Molesta illi erat omnis argumentatio; verbis minime licenter usus est, nisi in carminibus, in quibus non ignoravit vitia sua sed amavit. » Scholasticae istae orationes forensium actionum meditationes erant, quibus ad veras iudiciorum pugnas et quasi iustas acies exerceri studiosi discipuli solebant, ut ex umbratili studio in lucem solemque prodirent et a fictis ad serias causas transirent. Illa declamationum themata, quae doctores adulescentibus subiciebant, haud multum ab Heroidum genere abhorrere mihi videntur, neque certe ab istis commentationibus ad simulatas has Epistulas longum erat transcurrendum iter. Quantum censes in hanc viam inductum esse Ovidium, postquam de iureiurando mariti et uxoris, Contr. l. II, 9, et talibus quaestionibus declamitasset penitusque perspexisset

> Quis color et quod sit causae genus atque ubi summa
> Quaestio !
>
> (Juven. VII, 155).

Qui docente Porcio Latrone aut Arellio Fusco diligenter deliberaverat an « Alexander Oceanum navigaret, vel Agamemnon Iphigeniam immolaret, negante Calchante aliter navigari posse, vel Cicero Antonium deprecaretur etc. » [1], facillime adduci debuit ut fictas heroidum ad amasios epistulas excogitaret et scriberet. Illae enim suasoriarum prorsus morem saepe referunt « quemadmodum in rhetorum ludis fabricabantur, quarumque ea erat ratio ut causa proposita quam maxime posset defenderetur; causa illa in epistulis Amor est, quem heroides et heroes ut iustum ac legitimum defendere student [2]. »

Praeterea bella prorsus haec erant argumenta, quae in sollemnibus amicorum coetibus et poetarum collegiis illis, ab Asinio Pollione institutis, legerentur. Cum enim studiosi homines et Musarum alumni suos conventus haberent, ubi carmina sua invicem recitarent, in eorum choro locum eximium Naso obtinuit, sicut ipse disertis verbis declarat, *Tr.* V, e. III, 5, 47, 52 :

1. Seneca, *Suas.*, 1, 3, 6.
2. Sedlmayer, *Prolegomena critica ad Heroides Ovidianas*, Vindobonae, 1878, p. 35.

Inter quos, memini, dum me mea fata sinebant,
Non invisa tibi pars ego saepe fui...
Vos quoque, consortes studii, pia turba, poetae...
Dicat : ubi est nostri pars modo Naso chori?

Equidem existimo recitanti huic quasdam Her. epistulas assurgere saepius debuisse sodales et verbis ab Horatio exagitatis, *ad Pis.* 428, exclamare : pulchre, bene, recte! Aptissime enim convenientium in hos coetus poetarum iudicio haec carmina respondebant; et inquirenti primam Heroidum cogitationem haud contemnendum argumentum, de quo loquimur, videri potest. Ut mea quidem fert opinio, perspecta cum harum epistularum materia, tum Nasonis ingenio, denique eius in rhetorum scholis exercitationibus posteriusque tragicorum carminum studio, hunc contendam auctorem atque inventorem Heroidum fuisse, id quod ipse celeberrimo Art. Am. loco, III, 345, profitetur :

Vel tibi composita cantetur Epistula voce;
Ignotum hoc aliis ille novavit opus.

Ex his versibus, sive nexum sententiae, sive verba « ignotum aliis opus novavit » respicis, apparet inventionis laude Ovidium gloriatum esse; neque immerito, si verbum *Epistula* hoc sensu accipitur, ut novum quoddam carminum genus significet. Quanquam ea sane pervagata est eruditorum virorum nostra aetate opinio, tamen non abs re est disputationes excutere cum eorum qui hanc inventionis laudem Propertio quidem deberi, Ovidium autem in his carminibus huius vestigiis institisse contenderunt, tum eorum qui ex Graecis fontibus haec manasse putaverunt. Illam sententiam, Ovidium in Heroidibus Graeca exempla imitatum esse tuitus est Xav. Werfer in opusculo cui nomen est « Lectionum in P. Ovidii Nasonis Heroides specimen », in Act. Monac. Tom. I, Fasc. IV. Nempe in scholio, quod in principio codicis Victorini ab ipso collati exstat, haec verba leguntur : « Ovidius Epistulas istas ab Esodio poeta graece conscriptas in latinum novavit. » Tum in codicis Trevirensis calce consentanea huic opinioni reperiuntur : « in quo opere imitatus est Ysidorum et Astream poetriam ad memoriam epistulas redu-

cendo quae iam oblivioni erant fere datae, unde in Ovidio de Arte Amatoria continetur : ignotum hoc aliis ille novavit opus [1]. »

Quantuli autem momenti sunt haec scholia! Eruditos viros non fallit res saepe a scholiastis asseri quae tenuissimis argumentis fulciantur, et etiam minime compertae sint, id quod in hoc loco, de quo disputamus, manifestum est. Nam neque Esodius, aut Ysidorus poeta, aut Astrea poetria apud veteres grammaticos usquam commemorantur, neque omnino fieri potest ut nullus sive Ovidianae, sive posterioris aetatis, doctior vir eorum mentionem fecisset, siquidem exemplaria nota celeberrimis huius Epistulis isti praebuissent. Cum igitur nemo veterum ulla unquam huius generis carmina apud Graecos exstitisse tradiderit, ne exstitisse quidem iure existimari potest, praecipue cum de poeta agatur, quantum hic fuit, apud Romanos pervulgato.

Nam si talia a Graecis carmina scripta fuissent, profecto et alii Romani in manibus ea habuissent, neque Ovidius tam aperte gloriatus esset se ignotum aliis opus novasse. Non enim sui huic deerant detrectatores qui aut statim, cum Heroides in lucem prodierunt, aut posterius, saltem ut Augusto adularentur cum in exsilio hic marceret, stolidae iactationis eum coarguerent; neque intellego cur de hac re Hyginus sive Ibis ille tacuisset, quem sibi infensissimum expertus diris omnibus devovet Ovidius, et propter antiquitatis doctrinam Polyhistorem Historiamque etiam a multis vocatum esse tradit Suetonius [2]. Huic enim, si cuipiam, eruditissimo viro nota esse debuerunt carmina illa Graeca, quae secutum esse Ovidium quidam contendunt, et detrectanti Ovidianum ingenium locupletem ad irridendum et carpendum poetam materiam praestitissent.

Igitur versum illum, *ignotum hoc aliis*, iniquissime torquere videtur Werfer, cum ita interpretari conatur : « quae verba mihi quidem videntur nihil aliud indicare nisi, Ille (Ovidius) auctor est huius novi operis, quod adhuc aliis (Romanis poetis) ignotum erat », Graecis videlicet usitatissimum, utpote qui exempla-

1. Cf. Loers, in edit. procemio, c. II.
2. *De illust. gram.*, XX.

ria Romanis imitanda praebuerint. At contortissima ista interpretatio propria sit eruditi huius viri, ut quae in longius ducta sit et ex sententiae nexu facillimaque verborum comprehensione minime sequatur.

Nunc ut institutam hanc quaestionem persolvamus, oportet de scholio pauca dicamus, quod codex Ratisbonensis refert his verbis : « Sappho, vates Graeca Lesbis ex Mitylena civitate, ad Phaonem amatorem suum per Ovidium, ut arbitrantur nonnulli, traducta incipit » : unde graece scriptam hanc sane epistulam exstitisse quidam putaverunt, quam prope latinus hic poeta transtulerit. Ego vero quod de superioribus scholiis disputatum est, huc quoque facere existimo; nam etsi Sapphus et Phaonis amorum apud antiquos scriptores memoria viguit, a poetis comicis potissimum prodita, de clarissimae poetriae amatoria nescio qua epistula nihil certe traditum est. Quoniam igitur in hac re veterum testimonia desiderantur, haud videtur gravis momenti esse temeraria ignobilis scholiastae asseveratio, qui ne ipse quidem sententia sua admodum videtur fidisse, et ambiguum illud addidit: « ut arbitrantur nonnulli. » Nam si ad XV epistulae materiam et colorem oculos et mentem advertimus, quid inter hanc ceterasque intersit minime perspicimus, et eam profecto Ovidianam esse opinio confirmatur. (V. infra C. V.).

Nulla tamen huius generis carmina apud Graecos exstitisse, temere facias si contendas, quia vestigia eorum quaedam in Alexandrinorum scriptis notarunt eruditi viri. « Nam ut ipse Ovidius pluribus post annis quam epistulas suas ediderat Met. libro nono Byblidis epistulam, versu heroo scriptam, inseruit, ita iam Alexandrini poetae his similibusque emboliis narrationi fabulari motum addere et iucunditatem studuerant. Hinc Phaedrae tabellae amatoriae, quas arcarum romanarum anaglypha et pictura Pompeiana a conscia nutrice ad Hippolytum perferri faciunt... hinc tot Pompeianae picturae, quas lepidissimo argumento Cupidinem delphino advectum Polyphemo, qui Galateam deperit, epistulam amatoriam tradentem repraesentant; quod ludicrum argumentum certe poeta quidam aetatis alexandrinae, ipsa, opinor, Galateae epistula interposita, praeiverat et

celebraverat [1]. » Sed quod huiusmodi figmenta quaedam in antiquis Graecorum scriptis deprehendi possunt, non inde sequitur ex tali fonte hoc carminum genus manasse, quale Ovidius constituit. Concedo quoque Diltheyio auctorem fuisse Callimachum poematis alicuius elegiaci de Cydippa scripti, sicut Ovidius ipse innuere videtur Rem. 381 sqq., ubi diversa poeseos genera digeruntur :

> Callimachi numeris non est dicendus Achilles;
> Cydippe non est oris, Homere, tui [2].

Neque repugno quidem Comparettio [3] qui Sapphus historiam ab Alexandrinis poetis tractatam esse et Ovidianum argumentum ex iis desumptum putat. Sed nihil amplius inde colligi potest, nisi Ovidium sese ad Callimachi elegiam aut alium quendam poetam applicasse. Quid tum ? Non ideo liquet insertas hoc aut illo carmine esse litteras, et nullo argumento evincitur Aristaeneti epistulam [4] ex Callimachi Cydippa, mutatis in pedestrem orationem versibus, expressam et contractam esse [5]. Denique quod epistolium tenerum Rufinus quidam numero elegiaco Elpidi suae Epheso scribit, Anth. Pal. V, 9, et deinceps inter rhetorum epistulas amatorias soluto sermone scripta una fertur heroidis feminae, Medeae ad Iasonem, a Theophylacto Simocatta (Boisson, édit. p. 63) saeculo sexto exeunte vel septimo post Chr. n. composita [6], minime illis poetae vel rhetoris cuiusdam raris figmentis poeticum litterarum genus efficiebatur, et imitatum eos auctores esse Ovidium aut non imitatum pariter contendere privata persuasione potes, ita ut carmen novum Epistulis suis unum Ovidium constituisse mihi existimare liceat.

Nunc ad alteram sententiam venio, virorum scilicet eorum, qui, Burmannum secundum, ad Prop. IV, 3, secuti, Propertii imitatorem Ovidium fuisse contendunt, argumentum vero

1. C. Diltheyi, *Observ. in epist. her. Ovid.*, part. I, in Indice scholarum, 1885, Goettingae, p. 3.
2. C. Diltheyi, *De Callimachi Cydippa*, Lipsiae, 1863, p. 1.
3. Comparetti, *Sulla epistola Ovid. di Saffo a Faone,* in Publicazioni del R. I. Firenze, 1876, p. 52.
4. Aristaen. *Epist. Amat.*, I, 10.
5. C. Dilthey, *De Call. Cydippa*, p. 27.
6. C. Dilthey, *Observ.*, *op. cit.*, p. 4-5.

nullum aliud afferunt, nisi quod inter Propertii carmina exstet una saltem epistula, Arethusae ad Lycotam (cf. IV, 11). In hac quidem elegia loci nonnulli reperiuntur, quos cum similibus Ovidianarum Heroidum locis conferre possis, sive verba, sive sententias respicias. Etenim illa quoque femina, dum ad virum litteras scribit, lacrimas fundit quibus liturae fiunt; tum derelictam se solam queritur et infausto omine nuptam esse; nunc quoniam in castris vir militet, de eius vita magisque etiam de marita fide sollicitam esse; interea ipsam noctes amaras ducere et tabulis pictos mundos ediscere; dolere quod romanis puellis non pateant castra, ut coniugem ipsa sequi possit; ita taedio et solitudine marcere nec vestes gemmasve curare, sed diis colendis attendere et fausta omina ex gemente noctua aut crepitante lucerna colligere. Denique virum rogat ut sibi ipse consulat neque gloriam tanti faciat; et cum reversus esset, arma ipsum cum subscriptione votiva Capenae portae suspensurum. Huiusmodi sententias vocesque etiam Ovidianis epistulis sparsas animadvertere potes, sive Penelopen, sive Laodamiam, vel Hero [1] aliasve audis. Quod tamen apud Ovidium voculae nonnullae aut sententiae deprehenduntur, quas etiam in Propertio reperias, non ideo sequitur imitatorem illius ieiunum esse Nasonem, quia huiusmodi loci neque numerosi admodum, neque magni sunt momenti.

Quid quod ne liquet quidem hanc Propertii elegiam Ovidii epistulis tempore antecedere? Nam si Propertianum epistolium ante Ovidianas heroides confectum esse C. Kirchner [2] contendit, diversa est sententia Iurenkae qui Propertium Ovidii heroides imitatum esse censet [3], ita ut sub iudice lis adhuc esse videatur. Quidquid id est, cum certum saltem sit in Propertiana elegia personas vivas significari, inde « apparet eos paulum a vero aberrare, qui eam primum exemplum esse volunt epistularum, quas Ovidius ab heroinis scriptas composuit [4] ». Ad excogitandum enim novum hoc carminum genus non magis profuisse illa

1. Cf. I, v. 30, 75; XIII, 35,88, 107; XIX, 151 sqq.
2. *De Prop. libro quinto capita sex.* Wismariae, 1882; p. 58.
3. *Progr.* Vindob. a. 1881 : Beiträge zur Kritik der Ovid. Heroiden, p. 7.
4. *De Sex. Propertii amoribus et poesi*, R. Bonafous, Parisiis, 1894, p. 60.

elegia videtur, quam vulgares epistulae ad absentes familiares cottidiano usu missae.

Equidem ab eorum parte stare malo, qui Propertianam elegiam ante Ovidianas heroides compositam esse censent; itaque concedam sane prima huius generis carminum initia apud Propertium reperiri; attamen Heroïdum inventionem Ovidio tribuendam esse contendam. Magnum enim inter Propertianam elegiam et Ovidianas epistulas discrimen est, quoniam illis Arethusae et Lycotae nominibus latebant verae viventesque personae, scilicet Aelia Galla maritusque Postumus [1]; Ovidius vero litteras a feminis ex heroico aevo vel remotissima antiquitate sumptis conscriptas finxit. Ideo Propertii carmen germana elegia est; Ovidii autem epistulae novum argumento et materia opus afferunt, neque immerito ille ignotum hoc se aliis novasse gloriatus est.

Itaque sua Propertio laus sit, quod illam Arethusae elegiam composuit, cuius rationem habeat si quis primam Heroidum originem exquirat; iniuste autem faciet qui ideo iactantiae et imitationis Ovidium insimulabit, quia inter elegiam unam et novum carminum genus plurimum interest, et inveniendi in hoc poeta summa inerat vis, quam posterius in Metam. libris, in Fastis et etiam in carminibus amatoriis exhibuit. Ad excogitandas igitur has heroidum epistulas Naso ingenii indole et ubertate, studiorum genere, scholasticisque usibus, denique tragicis fabulis est adductus; et si Ovidianarum Epistularum historiam et quasi prima elementa investiganti cum Propertianae illius elegiae IV, 3, mentio habenda est, tum etiam Callimachea Aetia et quaedam Graeculorum aliquorum epistolia in disceptationem vocanda, tamen neque ex Graecis fontibus neque ex Propertio haustum esse hoc carminum genus statuemus, prorsusque Ovidio inventionis gloriam deberi, qua non parum augentur horum carminum laudes. Si vero de hac quaestione aliter iudicare alii eruditi viri maluerint, de Ovidiana certe in componendis Heroidibus arte, quam in hac disputatione definire praecipue in animo nobis fuit, spero consensuros esse prudentes subtilesque latinarum elegantiarum existimatores.

1. Cf. Prop. Edit. Lemair., III. e. XII; IV e. III. v. 1, in not. Cf. Bonafous, *loc. cit.*

CAPUT III

DE OVIDII INGENIO, QUALE IN HER. EPISTULIS ELUCET.

Quale quantumque in his Her. epistulis Ovidii ingenium appareat nunc iuvat disputare, quia in his poeta indolem suam prodit. Et ut rem protinus aggrediar, nescio an tota via erraverit Naso, cum ad illas scribendas se accinxerit; quanquam enim hoc opus ille se novasse gloriatus est, definitum et felix esse hoc compositionis genus haud facile putaverim. Nonnunquam enim ab auctore quaeram quo pacto scriptae litterae ad amasium perventurae sint aut etiam scribi potuerint; nam ex his feminis quaedam ventis verba committere videntur et litteras concinnare, quibus nec destinatus locus, quo ferantur, nec tabellarius quidam praesto est : qualis Penelope epistulam Ulixi per maria erranti scribit et vix noto hospiti, ut opinor, gerendam credit; Leander in litore stat iam multis a diebus anxius et exspectans dum, placata Hellesponti rabie, traicere fretum natando possit; quanquam vero amore ardens iuvenis saevae procellae sese committere non audet, unum quendam invenit qui tabellas puellae reddat. Vix ulli tamen ineptius condicionem scribendi affinxit Naso quam Ariadnae « quae Naxi ex somno expergefacta, cum fugientem trans mare Theseum conspexisset, statim in ipsis Naxi desertis consedit et adeo *haerens scopulo quem vaga pulsat aqua*, X, 136, exarat codicillos trans mare Athenas perferendos. Est in hac elegia ubi tragicae scenae soliloquium, est ubi suasoriam dilectam texere poeta videatur, ubi epistulam, nusquam fere [1]. » Parum igitur verisimiles hae litterae videntur, sicut plurima in rhetorum scholis trita themata; sterilis quoque et tandem decantata materia erat; nam cum argumentum totum ex re amatoria sumendum esset, arduum prorsus et periculosae aleae inceptum fuit feminarum agmen induci ad absentes amatores

1. C. Diltheyi, *Observ. in ep.*, *op. cit.*, p. 5.

scribentium et dolentis animi teneras querelas fundentium; in quo opere cavere ne uno tenore flueret illa cantilena et fastidiosum quid brevi resonaret, non humani fortasse ingenii erat. In omnibus enim his epistulis non varia est puellarum condicio, quae a viris, sive ad bellum profectis sive alia laudabili causa procul agentibus, sunt derelictae. Amor tamen simplex affectus est, cuius commotiones magnam diversitatem non affectant; nempe sive Penelope ad maritum, sive Phaedra ad amatum privignum, vel puella Ariadne ad Theseum, vel Paris ad Helenam scribit, omnes flagrantis pectoris sensus eosdem effundunt, et de absentibus aut obnitentibus amatoribus queruntur, et in spem desperationemque vicibus alternis abripiuntur, vel in iram indignationemque erumpunt, vel ad preces devolvuntur. Illi porro animi motus semel et iterum feliciter posse in epistula describi haud infitias eo; at si vicies eandem materiam tractare suscipias, vix effugere fastidiosas repetitiones propter operis brevitatem possis. Maiore et longiore carmine opus est, ut contingat varietas, quae ex temporis, sexus, condicionis ingeniique diversitate exoritur; ideo in epico quidem aut tragico poemate multiplicibus coloribus depingi personae et distingui facta possunt; epistulae autem, suapte natura breviores, ad lectoris delectationem varias satis narrationes descriptionesque non apte excipient, praecipue si idem omnibus argumentum fuerit.

Forsitan igitur praestitisset Ovidium, uberrimo et tam flexibili ingenio praeditum, ad aliud quodvis carminum genus se contulisse in quo mollis dexteritas mentis pluribus et gratioribus versibus enitere potuisset. Sed quoniam ad hoc Epistularum opus se accinxit, observandum venit huiusmodi poemata illi tantum bene succedere potuisse, cui fecundissimi, candidissimi, atque ad percipiendas exprimendasque res sensibus obiectas aptissimi, vis summa ingenii contigisset. Etenim in effingendis heroici aevi personis oportet poeta, quasi praesentium temporum morumque oblitus, ad aetates mente confugiat quibus adumbrati viri feminaeque vixerint, sensus autem affectusque exuat qui recentiorum et aequalium proprii sint, prorsusque antiquum sibi comparet animum: quae sola condicio ad describendos vetustos mores aptissime scriptorem instituit.

Ovidius autem, nunquam sui immemor, ingenium animumque in omnibus carminibus suis prodit; cum enim ingenuitate illa careret, quam Flaccus in candido Vergilio laudavit, sed potius mentis acuminibus et luminibus eniteret, ideo deerat illi eximia illa facultas qua vates personas varias vicissim induere sine ullo sui respectu possit, ac, quotiens viros feminasve loquentes inducat, veris diversisque ipse affectibus commoveatur. At in huius poetae ingenio eminet imprimis mollis quaedam facilitas, qua personas plures attingere potest, et nitidis iucundisque coloribus pingere; earum vero lineamenta equidem dubito an expressa ad naturam et vivida sint, quia Nasoni non in promptu est tanta vis animi, ut effigies quasi spirantes acie mentis complectatur, quas intuens manum derigat, effictas species ad veritatem perducat, et quasi vivos vultus stilo repraesentet; at potius sublustribus coloribus depictae personae apparent, quas iuvat quidem aspicere, earum autem imago haud insita penitus mentibus nostris permanebit.

Praeterea Ovidio abunde sane est urbanum quoddam ingenii acumen, quo venustas puellas adumbret; deest vero tenerum illud pectus quod variis affectibus vicissim molliatur et poetam, non minus quam oratorem, disertum faciat. Animo attento si quis intuetur, nunquam hic gravis viri frontem prae se ferre, sed facetam ironiam affectare et in feminarum doloribus per lepidum ludibrium irridendis oblectari videtur. Ideo personas saepius, ne dicam semper, non ex cuiusque scribentis ingenio effingit, nec diversis affectibus indolique convenientissimis distinguit; sed non raro accidit ut in Heroidum moribus exprimendis ab vitae gravitate et heroici aevi ingenuitate discedat, qualem Homerus aliique Graeci poetae informaverant, et contra aequalium suorum delicatiores affectus exquisitioresque sensus describat. Saepe enim occurrunt sententiae et exempla, quae ex Romanorum usibus manaverunt, dum modo studia palaestrae vel otiosae per porticus ambulationes commemorantur, quae plurimum apud illos vigebant :

Aut fora vos retinent, aut unctae dona palaestrae...
XIX, 11, sqq.

Et modo porticibus spatior, modo munera regum
Miror et in cunctis stantia signa locis;

XXI, 99, sqq.

modo ducis quadrigis albis invecti admonemur, X, 126 :

Cum steteris turbae celsus in ore tuae
Et bene narrabis letum taurique virique,
Me quoque narrato [1].

Plures sane, si vacaret, referre locos possemus, quibus Ovidius temporum personarumque oblitus, suae potius aetatis civitatisque quam pristinorum Graecorum mores effingit [2].

Ista Ovidiani ingenii inclinatione effectum est ut Epistularum mulierculae non modo vetustissimae aetatis feminis nimium dissimiles sint, sed ne Romanarum quidem matronarum dignitatem retinentes, putidaeque et calamistris inustae, amicarum potius memoriam revocent quas Ovidius aut Tibullus dilexissent, ut saepe dicas poetam in Corinnae aut Deliae ingenio et effigie defixum ad illarum meretricum similitudinem Penelopen, Phyllida ceterasque puellas oratione adumbrasse. Pleraeque enim nimiam venereae voluptatis cupiditatem affectant et viduos lectos frigidasque noctes dolent; immo vero obsceniora quaedam et quae pudorem offendant nonnunquam eloquuntur. Esto, protervae feminae et procacitate famosae, quales Phaedra aut Helena, immodestis sententiis et verbis oblectatae sunt; patiamur impudicam novercam, et Veneris odio perditam turpique amore flagrantem, omnibus voluptatis lenociniis gaudere et Hippolyto pomaria, quae plenis ramis carpere possit, primamque rosam tenui ungue delegendam, IV, 29, praetentare; quanquam melius est huiuscemodi picturas a carminibus et Musarum delubris amoveri : sed graves et veterum vatum artificio sanctas uxores puellasve induci, quae mollibus deliciis deditae esse et amissae dulcedinis desiderio videantur marcere, minime sane decuit et absurdum flagitium fuit. Num ex Epist. I gravissimam illam Penelopen agnoscis, quae maritum absentem viginti per annos

1. Numeros sequor editionis quam apparatu critico instruxit H. St. Sedlmayer, Vindobonae, 1886.

2. Cf. VI, 85 sqq.; VIII, 88; XII, 70 et 137; XIII, 50 et 85, et passim.

flevit et procorum precibus minisque spretis, pudica in gynaeceo, omissis conviviis et omni nuptiarum cogitatione abiecta, totoque animo coniugis dilectissimi recordatione intenta permansit? Ovidiana ista mollior est femina, quam caelibis vitae iam diu taedet, atque dolet quod iaceat deserto frigida lecto, v. 7, ita ut, tam longae exspectationis impatiens et animo acrior, in locum Ulixis virum alterum, Antinoum aut Eurymachum, suffectura fuisse videatur. Qualem vero se praestat Sappho ista, quae nullo pudore iam refrenata, Phaonem mollire enervata rei venereae pictura conatur, dum lasciviam suam, crebram mobilitatem, apta verba ioco, plurimum in lasso corpore languorem commemorat, XV, 45! Facetiori suo ingenio Naso nimium indulgens irridendae nobilissimae puellae occasionem cupide videtur arripuisse, et efficta ab eo Sappho Eressiae illius potius meretricis, arbitrio et licentia comicorum dilaceratae, quam Mytilenaeae poetriae nos admonet. Haec sane mirum in modum mutata est ab illa quae exquisitissimis modestissimisque verbis de popularibus puellis aut fortasse de Phaone querebatur [1]. In informandis igitur personis nonnunquam Ovidius carpendus, quanquam aliis causis in antiquitate tractanda laudandus est.

Mirum est enim quanta huic sit fabularum cognitio et vetustarum rerum doctrina, ut inter doctissimos poetas insignem locum obtineat et cum Vergilio ipso hac de laude certare possit; quae adeo singularis fuit, ut ex illa heroidum varietate appareat omnium fere Graecorum Latinorumque poemata huic nota plane esse. Nam quod aliquotiens a pristinis auctoribus dissentire hic videtur, sicut in Penelopes epist. 15, 37, 63, 80, 100, ego censeo in tractandis vatum commentis eum concessa licentia usum esse, et consulto a fabula, qualis ab Homero tradita est, discessisse, ut eam instituto suo accommodaret. Eodem quoque iure liberius quaedam facta interpretatus est, de quibus docti viri gravissime in utramque partem disceptarunt, ut vix neglegentius egisse Ovidius videatur, cum quintus ab Iove Paris dicatur, XVII, 60, quia sextum aut etiam septimum, si poetis fidem praebes, eum

1. *Poet. lyr. Gr.*, edit. Bergk, 4e edit. Leipsig, fr. 2 v. 14, cf. fr. 33, 34, 41.

fuisse constat [1]. Atqui tenendum est haud parvo et vulgari ornamento Epistulis esse has narrationes ex historia et fabulis repetitas, cum ingenio quidem suo temperare Naso valet. Haec enim doctrina singularem illam inventionis laudem fulcit, qua poeta miram personarum ingeniorumque varietatem in his carminibus excogitat; quae tanta est ut omnium prope condicionum, exceptis virginibus, amantes feminas enumeraverit. Similiores sane inter se illae sunt, ut quae eiusdem sint familiae et omnes amoris iugo obnoxiae, at diversae tamen, quantum cuiusque ferebat natura et epistularum brevitas. Quam multiforme enim incedit uxorum agmen, inter quas fidelem modestamque in Penelope, impudicam in Phaedra, inviso iunctam marito in Hermione, sollicitam de rivali invidamque in Deianira, trepidam de bellantis viri vita in Laodamia, vix matrimonio iunctam et morti pro coniuge occurrentem in Hypermnestra, denique lenociniis deditam iamque adulterio paratam in Helena Naso pinxit! Magis etiam variegatus est puellarum castarum praecipueque incestarum chorus, quas, ne fastidiosa evadat enumeratio, praetermittam; hoc tantum addam, mirum prorsus esse quanta ingenii ubertate materiam illam, ex amoris spreti neglectique aut desiderati querelis et doloribus sumptam, per tot epistulas hic deduxerit, et narrationibus, descriptionibus inventisque scribentis cuiusque indoli satis accommodatis, per diversissimos sensus affectusque distinxerit.

In tractandis enim singularum Heroidum argumentis flexibilis ingenii sagacitas et singularis ars adeo enitet, ut in praestantissimis Ovidii carminibus inventionis felicitate haec sint numeranda et « in tenui labor [2] » splendidissime triumphet.

Procedunt enim argumenta fusius explicata, copia et gravitate sententiarum commendata, quibus vel levissimae res illustrentur, et eas non arcessitas aut multo labore disquisitas, sed benignissimae ingenii venae obvias fuisse dicas. In exornandis epistularum explicationibus exsultat illud decens et amabile ingenium, quod in Ovidio Seneca pater, l. II, c. 10, laudavit,

1. Juppiter, Dardanus (Erichthonius), Tros, Ilus, Laomedon, Priamus, Paris. Il., c. XX.

2. Verg., *Georg.* IV, 6.

et clarissimum discipulum agnoscimus Fusci Arellii rhetoris, cuius « cultus nimis exquisitus, compositio verborum mollior, quam ut illam tam sanctis fortibusque praeceptis praeparans se animus pati posset. Summa inaequalitas orationis, quae modo exilis erat, modo nimia licentia vaga et effusa. In descriptionibus extra legem; omnibus verbis, dummodo niterent, permissa libertas. Nihil acre, nihil solidum, nihil horridum. Splendida oratio et magis lasciva quam laeta [1] ». Huius sane exemplis et auctoritate impulsus Ovidius, qui iam sua sponte ad acutiora et facetiora propensus esset, in dulcia huiusmodi vitia prorupit. In hoc tamen loco, quoniam non de oratione, sed de argumento et inventionis laude agimus, tenendum est haud parum ingeniosam illam indolem ad excogitandas tenues res et apte epistulis inserendas huic profuisse. Nam quotiens sibi hic temperat, nitidis sententiis distinctae sunt plures Heroidum partes, et iucunda varietas comparatur. Aspice quam lepide Hermione tristis infantiae suae solitudinem, matre profecta, describat, VIII, 89 sqq. :

Parva mea sine matre fui, pater arma ferebat;
Et duo cum vivant, orba duobus eram.
Non tibi blanditias primis, mea mater, in annis
Incerto dictas ore puella tuli;
Non ego captavi brevibus tua colla lacertis,
Non gremio sedi sarcina grata tuo;
Non cultus tibi cura mei, nec pacta marito
Intravi thalamos matre parante novos.
Obvia prodieram reduci tibi, vera fatebor,
Nec facies nobis nota parentis erat;
Te tamen esse Helenen, quod eras pulcherrima, sensi;
Ipsa requirebas, quae tua nata foret.

Plures locos reperias, in quibus exsultat ingeniosa Ovidii indoles et perurbanis facetiis argumenta condit; quae licet nonnunquam personarum indoli parum accommodatae videantur, adeo perlucidae sunt, ut oblectatus animus, pluribus in carmine nitentibus, parvis maculis non offendatur, neque poetam exagitare audeat, quod non esset his locus.

1. M. An. Senecae. *Contr.* II. Praef.

Sed Nasonem extra recti fines abstrahebat mira illa facilitas, qua mente sententiae effluerent, ideoque in opposita virtutibus vitia ipse ducebatur. Cum igitur venae benignitas eum in luxuriam aliquando abriperet, effectum est ut paucae epistulae in longius deductae sint; quae pravitas in posterioribus praecipue (XVI, XVII sqq.) videtur reprehendenda. Nam quia ultra modum illae extenduntur, remittitur animi attentio, qui sententiarum affectuumque robore immorari solet, inanem vero verbositatem aspernatur. Atqui cum Naso, lascivientis ingenii impetu ablatus, non iudicio cohibetur, cogitationes nimium extenuatae evadunt, quia graviores res deficiunt, ita ut sensus commotionesque pondere laborent. Huiusmodi vitium in absolutissimis epistulis apparet; quale deprehendas in Penel. I, 116, quae lentum Ulixem obiurgat, instatque his verbis :

> Protinus ut redeas, facta videbor anus;

aut in Ariad. X, 23, quae paulo argutius querelas suas exponit, quas concava saxa reddebant :

> Et quotiens ego te, totiens locus ipse vocabat :
> Ipse locus miserae ferre volebat opem.

Inde fit ut saepius Naso, scholastici artificii memor, in declamationum garrulitatem decidat, et in controversia aut suasoria partes defendere videatur. Quoniam enim in amore versantur Heroidum epistulae, nescio quo pacto illius controversiae, Sen. II, 10, « Iusiurandum mariti et uxoris » memoria saepe revocatur. Nam quid aliud agit Hermione, cum Oresti explicat quam optimo iure se, ei primum desponsam, liceat uxorem vindicare, VIII, 31?

> Me tibi Tyndareus, vita gravis auctor et annis,
> Tradidit : arbitrium neptis habebat avus.
> At pater Aeacio promiserat inscius acti;
> Plus quoque, qui prior est ordine, posset avus.

Atque hoc ego exemplum rettuli, ut intellegatur in prioris etiam partis epistulis Ovidium argutari et scholasticum morem non male imitari. Nam si ad XX epist. te referas, ingeniosum P. Latronis discipulum declamare putes, 145, 151 sqq. :

Quis tibi permisit nostras praecerpere messes?
Ad spes alterius quis tibi fecit iter?
Iste sinus meus est...
Elige de vacuis quam non sibi vindicet alter;
Si nescis, dominum res habet ista suum.
Nec mihi credideris : recitetur formula pacti.

Verba ipsa ex iure sumpta agnoscimus; praescriptae quoque clausulae sollemnis disputationis saepe occurrunt; qui argumentandi tenor absurdius in puellae ore sonat, XXI, 61 sqq. :

Aut tibi iam nulla est speratae cura puellae,
Quam ferus indigna labe perire sinis,
Aut, dea si frustra pro me tibi saeva rogatur,
Quid mihi te iactas? gratia nulla tua est.
Elige, quid fingas : non vis placare Dianam;
Immemor es nostri : non potes; illa tui est [1].

Quoniam vero a Seneca accepimus, Cont. II, 10, libentius a Nasone dictas esse suasorias, huius generis explicationes saepius in Epistulis deprehenderis. Aurem modo Deianirae praebe, IX, 13 :

Respice vindicibus pacatum viribus orbem,
Qua latam Nereus caerulus ambit humum.
Se tibi pax terrae, tibi se tota aequora debent;
Implesti meritis Solis utramque domum.
Quod te laturum est, caelum prius ipse tulisti;
Hercule supposito sidera fulsit Atlas.
Quid nisi notitia est misero quaesita pudori,
Si cumulas stupri facta priora nota [2]?

Vide quoque an declamet Laodamia, XIII, 43 sqq., cum Parida alloquitur, qui, rapta Helena, causa fuit cur coniurata Graecia arma sumpserit et Protesilaus vir ad bellum sit profectus. Declamat Paris longissima epistula, in qua omnes suasoriae partes, argumentationem, refutationem, laudem vituperiumque vicissim mirabili artificio pertractata deprehendas. Declamat cum sollemnibus interrogandi, exclamandi, et compellandi formulis

1. Cf. *ibid.*, 55, 135 sqq.
2. Cf. IX, 27; XII, 159 sqq.

Leander, qui in adversantem natanti Borean his verbis invehitur, XVIII, 37 sqq. :

> At tu de rapidis immansuetissime ventis,
> Quid mecum certa proelia mente geris?
> In me, si nescis, Borea, non aequora, saevis.
> Quid faceres, esset ni tibi notus amor?
> Tam gelidus quod sis, num te tamen, improbe, quondam
> Ignibus Actaeis incaluisse negas?
> Gaudia rapturo si quis tibi claudere vellet
> Aerios aditus, quo paterere modo?
> Parce, precor, facilemque move moderatius auram :
> Imperet Hippotades sic tibi triste nihil.

Denique, ut hanc disputationis partem absolvam, satis fuerit indicare genus hoc declamatorium nonnunquam ad tragicum illum sermonem verti qui μονολόγος a Graecis appellatur, et in Medeae fabulae auctore haud mirandus videtur. Nonne Euripidis hic meminit cum Canacen inducit ad patrem conversam et exclamantem, epist. XI, 101-122 :

> His mea muneribus, genitor, conubia donas?
> Hac tua dote, pater, filia dives erit?
> Tolle procul, decepte, faces, Hymenaee, maritas, etc.

Viden quo nimia facilitate, non adhibitis iudicii frenis, Ovidius extrahatur? Ita quoque existimandum est eximiam illam doctrinam et totius ferme antiquitatis scientiam saepius exundare neque intra recti fines coerceri. Publica ista materies cupidius ab hoc usurpata in argumento nimium sane locum obtinet; nam etsi haec fabularum ornamenta in carminibus antiquos lectores minus offendebant, utpote qui studiorum suorum magistram Graeciam habuissent, severiores certe poetae, qualis Vergilius fuit, in hoc genere castigatiores et verecundiores erant. Hic autem ad Alexandrinorum imitationem paulum vergens, quorum consuetudinem iam Propertius avidius arripuerat, et a veterum sanitate declinans, scientiam suam in Epistulis libenter ostentat. Omnes enim istae heroides vetustissimarum fabularum cognitione callidissimae videntur, neque eas vel minimae gravitate et omnino abstrusae res fugiunt, ita ut vatum carmina et doctissimorum

virorum monumenta, si qua tamen iam tunc exstabant, eas exhausisse putes. Saltem exemplaria Graeca et grammaticorum commentarios maxima doctrina fartos evolvere eum oportebit quicumque haec poemata in omnibus quidem partibus percipere cupiat. Epicos igitur tragicosque poetas, et Homerum imprimis, fabularum Graecarum fontem illum chorique magistrum, teneamus ante necesse est, quam ad haec legenda accingamur; nam eximiae etiam epistulae vastam illam eruditionem exhibent. In Penelopes, Briseidos, Oenones, Didus, Laodamiae, Paridis et Helenae litteris scientiae omnis principium obtulit Ovidio Homerus et alii cyclici lyricique vates; tum ad easdem ceterasque doctrina illustrandas huic opem tulerunt tragici et comici poetae, Alexandrinorumque turba.

Attamen calumniam in hunc ne agitemus, si femina modestissima, Penelope, non virorum solum nomina et facta, sed locorum quoque situs ex Nestoris, quem Telemachus adiit et interrogavit, aut aliorum ducum narrationibus didicit, I, 31 :

Atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa,
Pingit et exiguo Pergama tota mero :
Hac ibat Simois, hac est Sigeia tellus;
Hic steterat Priami regia celsa senis;
Illic Aeacides, illic tendebat Ulixes;
Hic lacer admissos terruit Hector equos.

Iam vero Hypsipylen ant Medeam audienti obscurior esse argumenti tenor videtur, et nisi Apollonii Rhodii Argonautica pervolverit, commentariis perpetuis lector egebit, quia in fabulosis rebus et in terrarum descriptione doctrina disquisita ostentatur, XII, 9 sqq. :

Ei mihi, cur unquam iuvenilibus acta lacertis,
Phrixeam petiit Pelias arbor ovem?
Cur unquam Colchi Magnetida vidimus Argo,
Turbaque Phasiacam Graia bibistis aquam?

Hypermnestram miraberis querentem quod Iunonis ira ex illo tempore permaneat, XIV, 86,

Quo bos ex homine est, ex bove facta dea,

et totam Ius fabulam deinceps explicantem. Sed magis reconditos etiam scriptores teneas oportet, si Parida intellegere cupis narrantem, XVI, 265,

> Ut tulit Hippomenes Schoeneida praemia cursus;
> Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus, etc.

A Leandri epistula abstine, nisi perplexam Phrixi fabulam et astrorum quoque cursus ab Arato didicisti; sin aliter, in caeca caligine errabundus vacillabis, XVIII, 143 sqq. :

> Invideo Phrixo, quem per freta tristia tutum
> Aurea lanigero vellere vexit ovis...
> Nec sequor aut Helicen aut, qua Tyrus utitur, Arcton;
> Publica non curat sidera noster amor.
> Andromedan alius spectet claramque Coronam,
> Quaeque micat gelido Parrhasis Ursa polo.

Haec recondita doctrina, qua velut illitae sunt omnes epistulae, ut in viris, qui eruditionis famam affectant, laudabilis est et poetis ipsis, qui eam circumspecto iudicio attingunt, iucunda ornamenta praebet, ita putida et molesta est, cum intemperantius in plurimas carminis partes diffluit. Quoniam igitur modum in hac re Naso excessit, reprehendendus hanc quidem ob culpam aliquantum videbitur.

Quantum ille profecisset si, recisis ambitiosis ornamentis, operam omnem in depingendis feminarum animis impendisset! In his enim epistulis, sicut in ceteris huius poematis, elucet eximia quaedam humani animi notitia et in describendis eius motibus magna sagacitas. Ea enim in Ovidio erat mentis acies quae affectus varios accuratius observaret et subtiliter effingeret; nec tamen in perplexos pectoris recessus introspicit, sed summo animo inhaeret, cuius affectiones artificiose praestringit. Mirum est praecipue quantum in depingendis amantium, feminarum imprimis, commotionibus hic valeat, adeo ut in hac quidem parte regnet Ovidius. Iam supra dictum est in adumbrandis personarum ingeniis colores quosdam ab hoc adhiberi, ex quibus recentior toto habitu scribentis species appareat. Sed quamvis e Romanorum moribus pauca sumpta esse videantur, a doctis tantum animadvertentur ista, ceterum describendis animi moti-

bus parum officient. Etenim omnis fere affectuum varietas oculis nostris apte subicitur. Sane sententias illas haud multum curo, quibus aliquid generatim praecipitur [1], et quae Euripidis aliquando imitationem produnt, XXI, 137 :

> Quae iurat mens est; nil coniuravimus illa [2].

Sed quamvis nonnunquam frigeat femina, quae, de amore suo loquens, in genere disserere videatur, nihilominus vera enitet animi descriptio, IV, 26 :

> Ars fit ubi a teneris crimen condiscitur annis;
> Quae venit exacto tempore, peius amat.

In hac quidem parte eminet Ovidius, ut qui omnes amantium affectus, dum Corinnae aliarumque amore ardet, expertus esset. Ideo quasi stationes et gradus omnes callide notat per quos a primo calore ad ferventissimum ardorem animus adducitur, et militiae venereae emeritum veteranum agnoscimus, dum feminarum illarum orientes primum ignes, tum spes, gaudia, sollicitudines, suspiciones, iras, desperationes et furores describit. Aspice quam decenti et exquisita subtilitate Canace incipientem amorem designet, XI, 27 :

> Ipsa quoque incalui, qualemque audire solebam
> Nescio quem sensi corde tepente deum.
> Fugerat ore color; macies adduxerat artus;
> Sumebant minimos ora coacta cibos;
> Nec somni faciles, et nox erat annua nobis,
> Et gemitum nullo laesa dolore dabam.
> Nec, cur haec facerem, poteram mihi reddere causam,
> Nec noram, quid amans esset : at illud eram.

Solliciti pectoris exemplar Paris exhibet, qui lacrimas, narrationes, convivia, ebrietatem, signa, gestus, cantus, denique tentamenta omnia memorat, quibus Helenam exorare conatus est, XVI, 239 sqq. Vide quanta veritate et lyrico impetu poeta furorem describat quo Sappho Phaonem insectatur, XV, 93 :

1. Cf. III, 43; IV, 26; V, 7 et passim.
2. Eurip., *Hipp.*, 612.

O neque adhuc iuvenis, neque iam puer, utilis aetas,
O decus, atque aevi gloria magna tui,
Huc ades, inque sinus, formose, relabere nostros;
Non ut ames, oro, verum ut amare sinas.

De amantium vero gaudiis dicere supervacaneum est, quoniam ad voluptatem et etiam obscenitatis imagines, iam supra notatas, vergunt. At iure feminae, ad naturae tenorem respicientes, de amatorum affectibus facile anxiae sunt, I, 75 :

Haec ego dum stulte metuo, quae vestra libido est,
Esse peregrino captus amore potes.

Deinceps cum derelictas se esse sentiunt, dolorem ardentibus verbis expromunt, III, 61 :

Ibis et, o miseram! cui me, violente, relinquis?
Quis mihi desertae mite levamen erit?
Devorer ante, precor, subito telluris hiatu,
Aut rutili missi fulminis igne cremer.

Aut etiam in acerrimam desperationem abripiuntur et aestuantem animum comprimere iam nequeunt, ut vicissim stupeant, frigeant, in lacrimas erumpant, exanimatae esse videantur, quasi morte futura pallidae, qualis Sappho, XV, 109 : Iuro.....

Cum mihi nescio quis « Fugiunt tua gaudia » dixit,
Nec me flere diu nec potuisse loqui;
Et lacrimae deerant oculis et verba palato;
Astrictum gelido frigore pectus erat, etc.

In Hypermnestra felicissimis verbis feminei animi metus et dubitationes doloresque Naso effingit, XIV, 29, 78, dum incerta quid agat, utrum mandata patris exigat an coniugem somno suscitet et ad fugam exhortetur, ter tremente manu ensem erigit et viri iugulo admovet, ter abicit, tandemque timore et pietate commota, sinum capillosque lanians, illum expergefactum, ut fugiat, impellit. Denique ne in longius protrahatur haec disputationis pars, exaestuantis, minantis et furentis pectoris vividum in Hermione exemplar poeta proposuit, VIII, 57 :

Rumpor, et ora mihi pariter cum mente tumescunt,
Pectoraque inclusis ignibus usta dolent.

Hermione coram quisquamne obiecit Oresti?
Nec mihi sunt vires, nec ferus ensis adest.

Iam perspicuum est, ut mihi quidem videtur, teneros amoris affectus et femineos sensus quanta Ovidius calliditate indagarit, quanta quoque sagacitate et subtilitate descripserit. Nihil deinceps in ceteris huius carminibus mirum et improvisum illi videbitur, qui attenta cura Heroid. epistulas pertractarit, quia in his quaedam elucent ingenii lumina quae nitidius sane in aliis scriptis praefulgebunt, iam vero totam Ovidianae mentis indolem produnt, adeo ut in his principium et quasi semen omnium eius poematum deprehendas. Imprimis enim se talem ipse praebet, qualis posterius manifestus erit, sibi semper fere constans, statimque argumentum carminum complexus quod nunquam deseret, scilicet rem amatoriam. Amoris sane vatem se Naso praestat et a primis annis, ut supra dictum est, in huius castris militavit. Hanc materiam poeta sibi propriam atque peculiarem diversis carminibus fecit, quae in iuventute composuit et deinceps vulgavit. Ideo in Heroidibus iam primam Amorum et Artis Amat. originem invenies; epistulas enim ad elegiacum scribendi genus pertinere huius disputationis initio, c. II, statuimus. At in Amorum libris ipse suo nomine molles amantis querelas effundit et Corinnam suam celebrat; in his vero epistulis cantandi idem argumentum permanet, mutatis tantum personis et ex heroico aevo sumptis; in utrisque tamen poetae ingenium movet amor. Praeterea sententias hic reperias, quas sequentia opera referent cognationemque inter varia Ovidii carmina demonstrabunt. Cum Briseis Achillem carpit quod segnis remaneat et molli amore devinctus sit, III, 117:

Tutius est iacuisse toro, tenuisse puellam,
Threiciam digitis increpuisse lyram,

haec carmina animadverte, quorum admonitus eris, si quando Am. II, 11, 31, evolveris:

Tutius est fovisse torum, legisse libellos,
Threiciam digitis increpuisse lyram.

Huiusmodi versus similitudinem certam prae se ferentes et

auctorem prodentes saepe in Am. libris reperies [1]. Vide tamen an Paris iam nutus et amantium signa calleat, XVI, 258 :

> Et modo per nutum signa tegenda dabam ;

tum perpende an ex alio fonte effluxerit ille Am. II, 4, 17, locus :

> Me specta, nutusque meos vultumque loquacem.
> Excipe furtivas et refer ipse notas, etc.

Artis Am. vero praecepta iam in Epistulis primum elucent, si quando res opportunitatem praebet ; nempe Phaedra in Hippolyto vultum rigidum trucemque, rigorem positosque sine arte capillos diligit, quia, IV, 76,

> Fine coli modico forma virilis amat.

At haec sententia ipsumque exemplum ab Heroidibus in Artem Am. migrabit, I, 509. Certe omnes epistularum amantes nihil aliud quam praecepta iam sequuntur quae posterius in Arte digeret Ovidius ; sic Acontius, cum Cydippe lecto aegra iacet neque ad eam veniendi potestas facile datur, XX, 132 :

> Anxius huc illuc dissimulanter eo ;
> Subsequor ancillam furtim...

Quem locum haud parum illustrant illa Art. Am. praecepta, I, 488 :

> Interea sive illa toro resupina feretur,
> Lecticam dominae dissimulanter adi [2].

Facilius etiam ex Heroidibus Metamorphoseon et Fastorum libros augurari licet ; in illis enim veteres historiae, quae propter antiquitatem fabularum loco habentur, ex vetustissimis auctoribus collectae describentur et quidquid alii Graeci Latinique et poetae et historici litterarum monumentis commendarunt, id omne Ovidius in eos transferet ; in Fastis autem persecutus est quae ad pristinos Romanorum pertinent ritus tanta quidem eru-

1. Cf. *Ep.*, IV, 79, et *Am.*, II, 5, 43 ; *Ep.*, V, 71, et *Am.*, II, 6, 4 ; *Ep.*, VI, 91, et *Am.*, III, 7, 29.
2. Cf. totam fere XVI *Paridis epist. ad Helenam.*

ditione, ut non aliud opus ad cognoscendam Romanam antiquitatem tantopere proficiat. Nullam porro Epistulam reperias in qua locus argumento alicui ex fabulis excerpto non datus sit. At referre exemplum satis fuerit Phaedrae, de gentis suae fato querentis, ex qua tributa petit Venus, IV, 55 sqq. :

Juppiter Europen — prima est ea gentis origo —
Dilexit, tauro dissimulante deum;
Pasiphaë mater, decepto subdita tauro,
Enixa est utero crimen onusque suo.

Narrationem in longius protrahe et Metamorphoseos lineamenta praesto erunt, quam Ovidius quondam fusius explicabit, Met. II, 847; VIII, 132; IX, 735 sqq. Longum esset vel enumerare fabulas quas in Heroidibus attingit et in Metam. libris Ovidius enarrabit, ut, quantum locum eae in his carminibus teneant, existimare solus possit qui haec perlegerit. Sed et Fastorum dixi primum fontem ab hoc opere oriri; namque dum eandem Phaedram audis, cuius epistula iam saepe argumenta nobis ex una eademque consulto petentibus praebuit, Fastorum admonemur, IV, 47 :

Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleides actae,
Quaeque sub Idaeo tympana colle movent;
Aut quas semideae Dryades Faunique bicornes
Numine contactas attonuere suo [1].

Nempe Cybeles sacra et ritus, eiusque sacerdotum furorem ac tympana Fast. IV, 183, 363 sqq. longa narratione vates illustrabit.

Nunc quod in hac disputationis parte propositum erat, planis argumentis probatum esse mihi videtur. Nam ea apparet in

1. Ad demonstrandum quod in hoc capite nobis propositum erat maiorem locorum numerum afferre supervacaneum esset; nam quatenus Ovidius sententias et verba etiam in carminibus iterare cupide studeat, collectis omnibus fere exemplis, fusius disseruerunt eruditissimi viri, Zingerle in libro qui inscribitur : *Ovidius und sein Verhältniss zu den vorgängern und gleichzeitigen Römischen dichtern*, I, II, Innsbruckii, 1869-71; V. I, p. 1-40, et Alb. Lueneburg in commentatione academica « *De Ovidio sui imitatore* », 90 p. Ienae 1889. Ex his scriptis quaedam in nostrum usum infra, data occasione, desumemus.

Epistulis laus inventionis, ut primam ceterorum Ovidianorum carminum originem in his deprehendamus. Poetae interea ingenium in hoc opere tale elucet quale postea virtutibus et vitiis sese praestabit. Illud enim Heroidum genus diserte hic persecutus est et in his litteris tum fluidam, exundantemque lepidi doctique spiritus venam, tum flexibilem in informandis personis et subtilem artem, denique eximiam adeo in describendis amantis animi, praecipue feminei, affectibus calliditatem exhibuit, ut prorsus felicissimum omnino poetae ingenium videatur, felicius tamen « si temperare sibi quam indulgere maluisset [1] ».

1. Quint., *Inst. Or.*, X, 1.

CAPUT IV.

DE DICENDI GENERE, SERMONE NUMERISQUE.

In Heroidum epistulis summum orationis artificium facile agnoscet qui eas diligenti studio evolverit; nam si doctissimis et linguae latinae peritissimis viris fides habenda est, politissimi omnium Ovidii librorum illi sunt, ut ait J. C. Scaliger, Poet. VI, 7, loc. cit : « nam et sententiae sunt illustres et facilitas composita, et numeri poetici. » Ciofanus quoque Sulmonensis in Heroid. praefatione, quantum doctrinae et elegantiae in his epistulis exhibuerit Ovidius, doctissimis quibusque perspectum atque exploratum esse animadvertit; summa tamen eius sententiae, sicut omnium editorum emendatorumque, haec est : « artis poeticae praecepta, quae in his insunt una cum variis affectibus quibus, qui amant, excruciantur, optime expressa sunt, omniaque haec ita efficta leguntur, vix ut apud nos liber sit, qui cum his merito conferatur. » Equidem haec in praestantissimis Ovidii carminibus, quatenus ad orationem pertinet, annumeranda esse censeo, et quadam commendatione digna quoque sunt, quod Ovidianorum in eloquendo vitiorum virtutumque specimen exhibent.

Vitia enim in his conspicua apparent, quae, Ovidio quasi ingenita, ex ipsis eius virtutibus exoriri putes. Offendit primum exundantis ingenii luxuria, quod, nullis frenis moderantibus, cum impetu quodam ac maiore festinatione componit, quam ut peccatis emendandis diligentem det operam et nimiam verbositatem recidat. Ex ista neglegentia venit tum ieiuna sententiarum infractio et putida subtilitas, tum in describendis rebus resecata in minimas partes delineatio et in narrationibus singula enumerandi indefessa consuetudo, ut saepe, mutatis verbis, cogitationes eaedem per plures versus repetantur. Ita Penelope iterum

atque iterum queritur eversam sane Troiam esse, se tamen non minus desertam et viduam, quam si illa staret, I, 47 :

> Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
> Ilios et, murus quod fuit, esse solum,
> Si maneo, qualis Troia durante manebam,
> Virque mihi dempto fine carendus abest?
> Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant,
> Incola captivo quae bove victor arat.
> Iam seges est, ubi Troia fuit; resecandaque falce
> Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
> Semisepulta virum curvis feriuntur aratris
> Ossa; ruinosas occulit herba domos.
> Victor abes............

Atque hic animadvertendum est ne in illis quidem locis, quibus luxuriet et diffluat Ovidius, ei elegantem et vividam deesse orationem et propriam in narrando subtilitatem, adeo ut emunctiore naso ad odorandum artificium opus sit. Nonnunquam vero ita conciditur sententia ut, eius particulae quomodo distinctae fuerint, facillime perspicias. Calliditatem poetae pluribus versibus Epist. IX, 55 et 85, deprehendes, in qua ad Herculem scribens Deianira de illius laboribus sensus vix mutatis verbis usque ad taedium repetit; unum exempli gratia locum afferre liceat, in quo virum lanae pensa elaborantem increpat, IX, 72 :

> Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas
> Diceris, et dominae pertimuisse minas.
> Non fugis, Alcide, victricem mille laborum
> Rasilibus calathis imposuisse manum;
> Crassaque robusto deducis pollice fila
> Aequaque formosae pensa rependis erae?
> A! quotiens, digitis dum torques stamina duris,
> Praevalidae fusos comminuere manus?

Viden ut ratione quadam resecetur sententia? Quae cum oppositis duabus notionibus constaret, eas minutissime poeta in versibus diduxit, vicissim inter se verba *calathum* et *manum*, *fila* et *pollicem*, *stamina* et *digitos*, *fusos* et *manus* opponendo. Eandem artem Naso in describendis profluentius rebus ante oculos positis adhibet. En Paris narrat, XVI, 107 sqq., quomodo post illud pul-

chritudinis iudicium navem ad petendam Graeciam Helenamque struxerit. Quid censes? Diffunditur poeta narrando caesa pineta, caesam utilem arborem, spoliata silvis Gargara, ab Ida datas trabes, flexa robora, textam costis carinam : eadem omnino notio, mutata verba. Nonnunquam sententia in enumerationes diluitur, quae rerum gravitatem elevant; ita Ariadne, pereundi mille figuras metuens, quasdam otiose percenset, X, 83 sqq., et lupos, leones, tigridas, phocas, gladios memorat.

In huiusmodi locis artificium summum a poeta exhibitum fortasse dices, neque immerito, quoniam elegans quaedam inest gradatio et facilis abundantia; sed talia si severiore iudicio perpenderis, ex rhetorum umbraculis fluxisse existimabis. Illa tamen vitia licet interdum dulcia arbitreris; periculum autem imminet ne in frigidas et inopportunas sententias poeta deducatur, et putidus vel rudibus existimatoribus esse videatur. An dolere graviter feminam censes quae luxuriosis descriptionibus gaudeat? An te infortunia Phaedrae laedere poterunt, quae flagrantem suum ignem disquisitis verbis describit, IV, 21-30?

Scilicet ut teneros laedunt iuga prima iuvencos,
Frenaque vix patitur de grege captus equus;
Sic male vixque subit primos rude pectus amores,
Sarcinaque haec animo non sedet apta meo...
Tu nova servatae carpes libamina famae,
Et pariter nostrum fiet uterque nocens...

Pessimis sane argumentis utitur Phaedra ut persuasioni consulat et Hippolytum in amorem inducat. Qualem porro fidem amantis dictis praebeas, qui immodicus in augendis rebus sit et in elatiorem orationem erumpat? Talibus vocabulis in amplificationem exaggeratis nihil solidi subesse putes : qualia inflato ore Leander effundit, XVIII, 66 sqq. :

Vera loqui liceat; quam sequor, ipsa dea est.
Neu referam mores caelesti pectore dignos,
Forma nisi in veras non cadit illa deas etc.

In huiusmodi locis quin parum observatum sit decorum quis dubitet?

Idem Leander eo ambitiosae in loquendo anxietatis recidit, ut

bracchia sua iam per motus assiduos languentia putidissime increpet, 163 :

> His ego cum dixi « Pretium non vile laboris,
> Iam dominae vobis colla tenenda dabo, »
> Protinus illa valent etc.

Ceterum digna est Hero quae tam affectatam orationem intellegat, cum ipsa, maerens quod propter tempestatis saevitiam amator Hellespontum traicere nequeat, dimidiam laboris partem sibi assumere prono animo velit et frigidissimis verbis ferveat, XIX, 167 :

> At nos diversi medium coeamus in aequor,
> Obviaque in summis oscula demus aquis...

Ea prorsus est sententia, ut quod magis sit pigmentis simulatum vix inveniri possit.

Ex ista putida extenuatorum sensuum contentione oriuntur plurimi verborum lusus, quibus gaudet Naso. Offendunt primum nulla rerum gravitate usurpatae vocabulorum et dictionum iterationes, quae sibi respondent. In his opponendis eximium saepe se praestat poeta, neque illud artificium displicet, si quando sano iudicio adhibetur. Ita cum vi magna Cydippe queri videtur quod Diana ei infestam se praebeat, XXI, 13 :

> At melius virgo favisset virginis annis;

Ita et Hypermnestra gentis suae infortunia gravis verbi repetitione exprimit, XIV, 114 :

> Cum sene nos inopi turba vagamur inops;

et vehementi affectu iterat Sappho, XV, 17 :

> Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydro;

et acerrime se desertam in litore queritur Ariadne, X, 17 :

> Luna fuit : specto si quid nisi litora cernam;
> Quod videant oculi, nil nisi litus habent.

Sed cum isto artificio cupidius utatur Ovidius, saepe inanes verborum iterationes deprehendes, XIII, 74[1] :

1. In edit. Merkelii; nam Sedlmayer hunc versum et sequentem reicit. Cf. Eschenburg, *Metrische Untersuchungen über die Echtheit der Her. des Ovid. Progr.* Lubeck, 1874, c. IV, p. 1 et 2.

chritudinis iudicium navem ad petendam Graeciam Helenamque struxerit. Quid censes? Diffunditur poeta narrando caesa pineta, caesam utilem arborem, spoliata silvis Gargara, ab Ida datas trabes, flexa robora, textam costis carinam : eadem omnino notio, mutata verba. Nonnunquam sententia in enumerationes diluitur, quae rerum gravitatem elevant; ita Ariadne, pereundi mille figuras metuens, quasdam otiose percenset, X, 83 sqq., et lupos, leones, tigridas, phocas, gladios memorat.

In huiusmodi locis artificium summum a poeta exhibitum fortasse dices, neque immerito, quoniam elegans quaedam inest gradatio et facilis abundantia; sed talia si severiore iudicio perpenderis, ex rhetorum umbraculis fluxisse existimabis. Illa tamen vitia licet interdum dulcia arbitreris; periculum autem imminet ne in frigidas et inopportunas sententias poeta deducatur, et putidus vel rudibus existimatoribus esse videatur. An dolere graviter feminam censes quae luxuriosis descriptionibus gaudeat? An te infortunia Phaedrae laedere poterunt, quae flagrantem suum ignem disquisitis verbis describit, IV, 21-30?

Scilicet ut teneros laedunt iuga prima iuvencos,
Frenaque vix patitur de grege captus equus;
Sic male vixque subit primos rude pectus amores,
Sarcinaque haec animo non sedet apta meo...
Tu nova servatae carpes libamina famae,
Et pariter nostrum fiet uterque nocens...

Pessimis sane argumentis utitur Phaedra ut persuasioni consulat et Hippolytum in amorem inducat. Qualem porro fidem amantis dictis praebeas, qui immodicus in augendis rebus sit et in elatiorem orationem erumpat? Talibus vocabulis in amplificationem exaggeratis nihil solidi subesse putes : qualia inflato ore Leander effundit, XVIII, 66 sqq. :

Vera loqui liceat; quam sequor, ipsa dea est.
Neu referam mores caelesti pectore dignos,
Forma nisi in veras non cadit illa deas etc.

In huiusmodi locis quin parum observatum sit decorum quis dubitet?

Idem Leander eo ambitiosae in loquendo anxietatis recidit, ut

bracchia sua iam per motus assiduos languentia putidissime increpet, 163 :

His ego cum dixi « Pretium non vile laboris,
Iam dominae vobis colla tenenda dabo, »
Protinus illa valent etc.

Ceterum digna est Hero quae tam affectatam orationem intellegat, cum ipsa, maerens quod propter tempestatis saevitiam amator Hellespontum traicere nequeat, dimidiam laboris partem sibi assumere prono animo velit et frigidissimis verbis ferveat, XIX, 167 :

At nos diversi medium coeamus in aequor,
Obviaque in summis oscula demus aquis...

Ea prorsus est sententia, ut quod magis sit pigmentis simulatum vix inveniri possit.

Ex ista putida extenuatorum sensuum contentione oriuntur plurimi verborum lusus, quibus gaudet Naso. Offendunt primum nulla rerum gravitate usurpatae vocabulorum et dictionum iterationes, quae sibi respondent. In his opponendis eximium saepe se praestat poeta, neque illud artificium displicet, si quando sano iudicio adhibetur. Ita cum vi magna Cydippe queri videtur quod Diana ei infestam se praebeat, XXI, 13 :

At melius virgo favisset virginis annis;

Ita et Hypermnestra gentis suae infortunia gravis verbi repetitione exprimit, XIV, 114 :

Cum sene nos inopi turba vagamur inops;

et vehementi affectu iterat Sappho, XV, 17 :

Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydro;

et acerrime se desertam in litore queritur Ariadne, X, 17 :

Luna fuit : specto si quid nisi litora cernam;
Quod videant oculi, nil nisi litus habent.

Sed cum isto artificio cupidius utatur Ovidius, saepe inanes verborum iterationes deprehendes, XIII, 74[1] :

1. In edit. Merkelii; nam Sedlmayer hunc versum et sequentem reicit. Cf. Eschenburg, *Metrische Untersuchungen über die Echtheit der Her. des Ovid.* *Progr.* Lubeck, 1874, c. IV, p. 1 et 2.

Ut rapiat Paridi, quam Paris ante sibi.

Huiusmodi vitium in optimis Heroidum epistulis reperitur; ita Briseis oratione lascivit, III, 5 :

Si mihi pauca queri de te dominoque viroque
Fas est, de domino pauca viroque querar.
Non, ego poscenti quod sum cito tradita regi,
Culpa tua est; quamvis haec quoque culpa tua est.

Futilius etiam ludit Hero, XIX, 16 :

Quod faciam superest, praeter amare, nihil :
Quod superest, facio.

At nugatoriae istius calliditatis absolutam speciem exhibet Sappho, XV, 39 :

Si, nisi quae facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est, nulla futura tua est.

Et quoniam de repetitis verbis loquimur, superest ut observemus quasdam iterationes non consilio et data opera usurpatas, sed neglegentia Nasoni excidisse; qualia capi-caperer, III, 16-19; puellae-puella, ib. 35-38; miserae, miseram, ib. 59-61; Nympha, nympha, V, 10-12; venter, ventre, XVI, 44-46; nocte, nocte, XVIII, 76-78, etc. In talibus locis dormitasse Ovidium putabis aut ad coercenda vitia tempus, diligentiam voluntatemve defuisse, ideoque paucis maculis non offenderis.

Hinc via est ad acuminum usum et contrapositorum verborum studium, quae, cum poetae ingenium recto iudicio cohibetur neque in inane argutiarum aucupium delabitur, haud parvo sunt ornamento. At subridere semper Naso videtur et acutum verbum habere paratum quo urbanitatem suam exhibeat, V, 106, 124 :

..... Sic et Menelaon amavit.
Nunc iacet in viduo frigidus ille toro...
Possidet en saltus illa iuvenca meos...
Sed iubet ire Deus. — Vellem vetuisset adire.
VII, 141.
Inque novo iacui frigida facta toro.
XIV, 38.

Sed nescio an in his ipsis locis parum opportune ioco indulgeat poeta; certe acumina cupidius captat et saepe argutatur. In hoc genere omnes verborum lusus ex Heroidum ore excipies, etiam cum dolor animum occupat et gravissima instant pericula; ita Canace, tremendum partus tempus commemorans, verbis lascivit, XI, 49 :

Nescia quae faceret subitos mihi causa dolores,
Et rudis ad partus et nova miles eram.

Contraria contrariis opponere praecipue Ovidius gestit, et audaces translationes diversis rebus adhibet, VII, 10, 11 :

Atque idem venti tela fidemque ferent.
Certus es, Aenea, cum foedere solvere naves.

Cur graviorem Didus dolorem existimem, dum ingeniosius queritur, et ut ait J. C. Scaliger, Poet. VI c. VII, « inter Heroidas artificiosissime, compositissime, scitissime, elegantissime loquitur ? » Vix ulla dolenti fides erit, cum moriendi consilium illa reteget verbis contrarie relatis, VII, 187 :

Perque genas lacrimae strictum labuntur in ensem,
Qui iam pro lacrimis sanguine tinctus erit.

Translata et contraposita verba notabis quae, ex amoris et flammae notionibus sumpta, posterius litteras invadent et per populos manabunt; interea non immoderatum in his adhibendis se praestat Ovidius, XII, 167 :

Quaeque feros repuli doctis medicatibus ignes,
Non valeo flammas effugere ipsa meas.

Leander vero Borean sic increpat, XVIII, 41 :

Tam gelidus quod sis, num te tamen, improbe, quondam
Ignibus Actaeis incaluisse negas?

Pravissimum tamen acumen idem Leander exhibet, cum verbis argutatur quae diverso sensu accipienda sunt, XVIII, 85 :

Ut procul aspexi lumen : « meus ignis in illo est;
Illa meum, dixi, litora lumen habent. »

Quid de ista cuilibet pessimae comparanda translatione, XXI, 170?

Quique erat in palla, transit in ore rubor.

In superiore Leandri epist. loco, 85, acumen notavi, quo verba eadem aut similia Naso mutata sententia iungit; nec rara huius ioci exempla, II, 141 :

Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis
Praebuerunt, laqueis implicuisse iuvat.

Peiores autem sunt in eodem vocabulo argutiae :

Sed merita et famam, corpusque animumque pudicum
Cum male perdiderim, perdere verba leve est.
VII, 7.
Verba, quid exsultas, tua si mihi verba dederunt?
XXI, 123.

Neque ea ita disputo ut pravissima semper istius modi esse acumina contendam; nam accidit aliquando ut fere tolerabilis translatio sit :

Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.
X, 50.
Flamma rogi flammas finiet una meas.
XVI, 164.

Animadvertendum quoque est agnominatione [1] saepius uti Ovidium, qui tropus, in sermone vix probabilis, in carminibus luctum et maerorem animi effundentibus ineptus esse omnino videtur :

Victorem victae succubuisse queror.
IX, 2.
Verbera cum verbis mixta fuere meis.
X, 38.
Ut caderet cultu cultor ab ipse suo.
XII, 20.
Hinc amor, hinc timor est : ipsum timor auget amorem.
XII, 63.

1. *De agnom.* Vide *Rh. Ad Heren.*, IV, 21.

Istum lusum futilem existimabit quicumque iudicio non deliciis rhetoricorum praestigiorum depravato perpendet; verum insulsior etiam iste iocus videtur, cum agnominatio vocibus idem fere sonantibus constat, ut verba simillima ad res dissimiles accommodentur; qualia haec sunt :

> Non honor est, sed onus.
> IX, 31.
> Qui sic intrabas, hospes an hostis eras?
> XVII, 12.

Pravissimum tamen acumen illud iudicaveris, quo ad nomen proprium inficete alludit Ovidius, XXI, 211 :

> Mirabar quare tibi nomen Acontius esset :
> Quod faciat longe vulnus, acumen habes.

Hanc garrulitatem et inanibus flosculis ornata aut potius impedita carmina non sane probaverim; attamen tantum abest ut huiusmodi versus propter pigmenta reicere velim, eorum virorum exemplo qui sex posteriores epistulas praecipue spurias existimarunt [1], ut contra acumina illa et argutiarum studium, non mehercule semper insulsarum, Ovidianum ingenium mihi prodant. Verum illos naevos ne putes in omnibus versibus adeo redundare ut vix egregiis carminibus supersit locus; immo vero si universe et ex maiore parte iudicandum est, maculae istae, plurimis variisque virtutibus obscurantur et delentur; neque in aestimandis Ovidii vitiis illud Quintiliani, Inst. orat. X, oblivisscaris : « Ovidius est in ipsis quoque vitiis ingeniosus. » Cave igitur ne, dum argutias insectaris, quasdam latinas elegantias damnes.

Nunc animadvertendum est doctrinam illam eximiam, quae in Ovidio elucet, in orationis quoque tenore apparere, quippe quae attento animo iudicanti multis locutionibus et vocibus versibusque etiam, aliorum scriptorum imitationem prodentibus, respersa videatur. Etenim sicut illae Heroid. epistulae in vetustiore antiquitate omnes versabantur, quam penitus rimati erant complures poetae, ita ex horum scriptis non minus verba quam

1. Cf. infra c. V.

res Naso collegit, quae deinde imitaretur, in epist. I et III ex Homero, in IV et XII ex Euripidis Phaedra et Medea, in VII e Vergilii Aeneide, in XXI ex Callimacho. Atque ex his Graecis Latinisque poematis adhuc exstantibus existimare possumus coniectura, quam multa quoque hic ex carminibus deperditis excerpserit in Epist. IV ex Sapphus operibus [1], in VIII ex Sophoclis tragoedia Hermione, in XI et XIII ex Euripidis Aeolo et Protesilao; denique quaedam reperias quae ex Apollonio Rhodio, ex Catullo, Tibullo, Propertio ipsoque Pedone Albinovano ducta haud immerito dicas. Quin etiam se ipsum saepe imitatus est et notum est quantopere Ovidius ad exprimendas easdem res verbis fere iisdem uti consueverit; nam Ant. Zingerle libellos tres (*op. cit.*) exemplis complevit, quibus proditur affectata a poeta in epistulis Her. non solum sui ipsius, sed etiam Catulli, Tibulli, Propertii (I), tum Ennii, Lucretii, Vergilii (II), denique Horatii imitatio (III). Deinceps Eschenburg, in altero programmate Lubeckano [2], eandem materiam attigit, dum Ovidianum dicendi genus perquirit, quod tale esse, quale in reliquis carminibus deprehenditur, comprobare studuit. Postremo Alb. Lueneburg, in laudata commentatione, eiusmodi imitationes omnes colligere et recensere aggressus est, quo melius poetae ingenium aestimari posset [3]. Ex his porro, quae disseruerunt eruditissimi viri, liquet Ovidianam loquendi consuetudinem semper sibi constitisse et eandem fere in carminibus iuvenilibus et senilibus fuisse. Ideo non male concludit Luneburg, *op. cit.*, p. 82 : « nimia illa cupiditas sui imitandi unius Ovidii propria summique momenti est ad illius indolem artemque recte aestimandam. Concedamus iterationes singulorum verborum et loquendi moris, quod ad singulos versus attinet, proprietate latini sermonis, qui metro et pentametri et hexametri haud idonea fuit, motas esse neque plane evitari potuisse; concedamus quoque, quia Catullus, Tibullus, Propertius, quae in elegiaco poesis genere tractari

1. Ex Alexandrinis quoque poetis desumpta quaedam esse censet Comparetti, *op. cit.*, p. 52.

2. Esch. *Wie hat Ovid enzelne Wörter und Wortklassen in Verse verwandt. Ein Beitrag zur Echtheitsfrage der Her. des Ovid.*, 1886.

3. *De Ovidio sui imitatore*, Ienae, 1889. Cf. de Vries, *op. cit.* in commentario.

possunt, praeceperant, coactum fuisse Ovidium, ut res saepius iamiam ab illis descriptas denuo tractaret (cf. Zingerle, *op. cit.*, II, p. 115-118). At nulla causa erat, quae eum cogeret ut et res, quas ex illis hauserit, et res, quas ipse primus tractaverit, permultis locis ita iteraret ut omnes illi quoque sibi responderent. » At saltem ex tot similitudinibus, inter priores et posteriores Epistulas constantibus, forsitan colligere liceat genuinas omnes esse Heroides neque insulsum imitatorem in Ovidii rationem scribendi inserere sese ita potuisse, ut eius artem quasi ad unguem exprimeret.

Nunc si de hoc Ovidianae imitationis genere aliquid exemplis confirmatum pronuntiare cupis, intuere qualia et quomodo ex Vergilio hic adumbraverit. Nam ex plurimis VII epist. locis apparet Ovidium non quemlibet unum ex turpi imitatorum grege esse, qui sicci ieiunique ex aliorum felici ubertate surripiunt unde sterilitatem suam dissimulent, et ex alienis flosculis ornamenta aridis suis scriptis aucupantur. Haec modo perlege :

> Te lapis et montes, innataque rupibus altis
> Robora, te saevae progenuere ferae.
>
> VII, 37.
>
> Coniugis ante oculos deceptae stabit imago
> Tristis et effusis sanguinolenta comis...
>
> 69.
>
> Sed neque fers tecum nec, quae mihi, perfide, iactas,
> Presserunt umeros sacra paterque tuos...
>
> 79.
>
> Fluctibus eiectum tuta statione recepi,
> Vixque bene audito nomine regna dedi...
>
> 89.
>
> Est mihi marmorea sacratus in aede Sychaeus :
> Oppositae frondes velleraque alba tegunt...
>
> 99 sqq.

Haec ex epistula VII excerpta cum variis Aeneidos IV locis conferre possis. Vide igitur utrum rerum defectu laboraverit Naso an potius eximiam facilitatem et etiam ubertatem propriam exhibuerit. Nam, collatione illa facta, tantum apparebit singularem fuisse huius doctrinam et vim memoriae, quas admirabitur

quisquis eius et epistulas et carmina alia evolverit. Quantum quidem ego existimare possum, mihi videtur poeta, antequam scriptum aliquod in incude poneret, opera priorum legisse qui in eodem argumento versati essent. Ita factum est ut quaedam hic rettulerit quae furatum eum esse ab illis forsitan dicas : quae iniqua sane sententia sit, quoniam hic cum impetu quodam et festinatione scribebat et animus ad revisenda et emendanda sua illi deficiebat, ideoque fortasse non animadvertit nonnulla ex aliorum poematis in ipsius carmina transmigrasse. Saepius autem quae alii tractaverant argumenta, hic rursus quasi aemulus scribebat et proposito accommodabat ; nec tanquam ex Graeco versa aut etiam ex Latino priore poeta translata haec repetebat, sed sua et a semet iterum pensitata et mente elaborata proferebat. Neque reprehendere equidem hoc exercitationis genus audeo, quo certe proprietatem splendoremque verborum sibi Naso comparabat, neque sine laude hunc puto huiusmodi certamina cum Vergilio aliisve sibi sumpsisse, praesertim cum ipse, quae argumento idonea essent, contenderit proprio cogitandi et scribendi more modoque rursus concinnare.

In huiusmodi locis propria enitet Ovidii indoles et ingenium. Nam si singulos eius versus cum Vergilianis contuleris, gravitatem huic et ingenuam affectuum veritatem deesse agnosces. Curae in primis ei est ut diversa verba et voces, dum eandem sententiam retinet, usurpet ; sed infelix opera eius est quod proprie a Vergilio, et poetice dicta, communibus et incertis saepe vocabulis designantur. Ita pro nitidis et significantibus illis versibus, Aen. IV, 366 :

.... sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres,

has noster male definitas et universas translationes, adhibita tantum cura ut vitentur verborum repetitiones, supponit :

Te lapis et montes, innataque rupibus altis etc.

Gravi et sincero animi affectu in Aeneam Dido invehebatur, Aen. IV, 384 :

.... sequar atris ignibus absens,
Et cum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero, dabis, improbe, poenas.

In Ovidiana autem imitatione evanuit ille incitatus animi motus, et frigidius effingitur inflatis, parum aptis etiamque redundantibus verbis *coniugis deceptae imago*. Simplex et vehemens commotio candidissimis vocibus apud Vergilium erumpit, cum per ludibrium Aeneae fidem et pietatem exagitat Dido, IV, 597 :

.... En dextra fidesque
Quem secum patrios aiunt portare penates,
Quem subiisse umeris confectum aetate parentem.

Gravitate autem et affectu laborat Ovidius, cum parum pressa oratione exclamat :

Sed neque fers tecum, nec, quae mihi, perfide, iactas,
Presserunt umeros sacra paterque tuos;

nec considerate Aeneae umeris et patrem et sacra simul imponit.

Vergiliana Dido simplicissimis et exactis verbis praeterita beneficia commemorat, Aen. IV, 373 :

.... eiectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locavi.

Ovidiana vero subtilius, fusius, nec sine tumore addit se Aeneam « fluctibus eiectum tuta statione recepisse et vix bene audito nomine regna illi dedisse ».

Est etiam ubi impensa esse videatur Ovidii opera ut minutiis Vergilianum exemplum distingueret : ita templum Sychaeo in Aeneide sacratum, IV, 459,

Velleribus niveis et festa fronde revinctum,

ab Ovidio redundantibus aut minus significantibus vocabulis commemoratur :

Oppositae frondes velleraque alba tegunt.

Denique quaecumque epicam maiestatem apud Vergilium spirant, ab Ovidio franguntur, et enervantur, et orationis coloribus potius diversis quam exactis, sobriis, vividis verbis exprimuntur,

dum elegiacis carminibus accommodantur. Nam quae Ovidius ex Eclogis, molle aliquid et facetum sonantibus, deprompsit, utpote flebili tibiae magis apta, in Her. epistulis fideliorem imitationem produnt :

> Incisae servant a te mea nomina fagi.
> V, 21.
> Et vidi et perii, nec notis ignibus arsi.
> XII, 35.

Idem autem apud Vergilium sensus, affectus et orationis tenor :

> ..... tenerisque meos incidere amores
> Arboribus...
> Eccl. X, 53.
> Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.
> Ecl. VIII, 41.

Ita quae e Vergilio desumpta sunt, in Ovidii laudem verti non possunt ; nam quae ille graviter, ingenue, incitate, hic leviter, affectate, placide expressit ; in illo vim miraberis, in hoc subtilitatem animadvertes ; candidus ille, et mortalium dolens aegritudines, personis et temporibus orationem accommodatam exhibet ; hic ingeniosus et iocosus sententias affectusque extenuat aut calamistris inurit ; ubi ille atrocitate, invidia, miseratione pugnat, hic contrapositis et pariter cadentibus et putidis epithetis, aliisque styli deliciis irascentem, flentem, rogantem inducit personam ; prorsusque sibi plaudere Ovidius videtur quod eximios Vergilii locos lepide retractaverit et huiusmodi certamen non reformidarit.

Sed multa in variis epistulis ex Vergilio imitatus est Ovidius, quae indicare profuerit, quia planius ita manifestum erit quantum in Maronis aliorumque clarorum poetarum studio versatus hic esset :

> Narrantis coniunx pendet ab ore viri.
> I, 30 ; Aen. IV, 79.
> Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant,
> Incola captivo quae bove victor arat.
> Iam seges est, ubi Troia fuit ; resecandaque falce

Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virum curvis feriuntur aratris
Ossa....................

I. 51; Georg. I, 493 sqq.

Cui mea virginibus avibus libata sinistris.....
Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis,
Et cecinit maestum devia carmen avis.

II, 115, Aen. IV, 166.

Et fueram patriae pars ego magna meae.

III, 46; Aen. II, 5.

Devorer ante, precor, subito telluris hiatu,
Aut rutilo missi fulminis igne cremer.

III, 63; Aen. IV, 24, etc. [1]

Locos illos et alios, qui ex nobili aliquo Latino Graecove poeta in Ovidii carmina manarunt, non neglegentia sed consulto adumbratos ab hoc esse existimo, ut et scientiam suam ostentaret et ingenii subtilitatem in suscipiendo huiusmodi certamine probaret, doctis denique luminibus contextum orationis suae quasi coloraret. Ad confirmandam hanc opinionem egregie facit illud quod M. A. Seneca de Ovidii minime dissimulatis imitationibus refert, Suas. III : « Hoc autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse; itaque fecisse quod in multis aliis versibus Vergilius fecerat, non surripiendi causa, sed palam imitandi, hoc animo ut vellet agnosci; esse autem in tragoedia eius (Medea) : Feror huc illuc, ut plena deo. » Sicut enim huius magister, Fuscus Arellius, in suasoriis solebat ex Vergilio multa trahere et in aliqua Vergiliana descriptione saepe versabatur (M A. Sen. ibid.), ita diligens docilisque rhetoris discipulus, Naso noster, ex Ecl. Georg. et Aen. libris et ex aliorum pariter poetarum scriptis quaedam usurpavit, sive ea per imprudentiam exciderant, sive potius distinguere his imitationibus sua carmina, tanquam insignibus in ornatu, cupiebat [2].

1. Cf. Zingerle, *op. cit.*, II, p. 48 sqq.

2. Cf. *Epist.*, III, 47, 92, 97, 109, et XII, 161 cum Hom. *Il.*, XIX, 293, IX, 525, 179, 274, VI, 429; *Epist.*, XII, 43, 83, cum Apol. Rhod. *Arg.*, III, 320 sqq.; *Epist.*, IX, 46, cum Catul. *Epith. Pel.* et *Teth.*, 328 sqq., etc. Vide Zingerle et Lueneburg, *op. cit.*; Th. Birt, *op. cit.*, in R. M p. 398 sqq.; J. Tolkiehn, *op. cit.*, p. 48-84.

Inde fit ut splendidius eluceat Ovidii oratio, quae praeterea omnibus fere dicendi virtutibus exornata et nitidissimis leporibus perspersa tota est. Eminet imprimis uberrima illa imaginandi vis, qua felicissimae translationes orationis habitum colorant et vivido poeticoque splendore descriptiones narrationesque illustrant; neque vero illae quicquam insolens, aut humile, aut in longius ductum, sed facilitatem exquisitam prae se ferunt, ut ea verborum sententiarumque lumina non alienum locum usurpasse, sed in suum immigrasse dicas. Quales autem et quam multae effulgeant dicendi figurae, quam inexhausta similium exemplorumque copia, Epistularum locus vel quilibet unus ostendet : libet tamen paucos versus ex illa XV epist. referre, quam indignam Ovidio quidam non recte censuerunt, 137-155 :

Antra nemusque peto, tanquam nemus antraque prosint :
Conscia deliciis illa fuere meis.
Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
Impulit, in collo crine iacente feror.
Antra vident oculi scabro pendentia tofo,
Quae mihi Mygdonii marmoris instar erant, etc.

Quam ardenti orationis colore locus ille niteat, vel rudis latinarum elegantiarum existimator intellegere possit ; is enim est luminum splendor, varietas et ubertas, ut singulos versus eximia quaedam translatio aut aliud dicendi ornamentum insigniat. Iam si mollis perlucensque te delectat oratio, qua res coram aspicere et quasi oculis intueri videamur, pergere licet, XV, 157 :

Est nitidus vitreoque magis perlucidus amne
Fons sacer ; hunc multi numen habere putant ;
Quem supra ramos extendit aquatica lotos,
Una nemus : tenero caespite terra viret.

Ego, quantum sapio, in his locis cum res vere oculis subiectas esse et affectus animi vividis personaeque accommodatis coloribus descriptos, tum poeticum nitorem per omnes versus dispersum et suavem lucem, qua descriptionum lineamenta illustrentur, ubique praefulgere arbitror ; denique feliciter locorum prospectus et animi sensus ita consociantur, ut recordationis et desiderii

decorem vividius unquam expressum esse vix crediderim [1]. Iam elegantiam, facilitatem et perspicuitatem quis non sentit? Nihil tam flexibile et purum quam huius orationis tenor, quae ita libere fluit ut nunquam adhaerescat et poetae arbitrio fingatur.

Interdum subridere videtur Ovidius, et grata accedunt descriptioni leporis condimenta, XIX, 195 :

Namque sub aurora, iam dormitante lucerna,
Somnia quo cerni tempore vera solent,
Stamina de digitis cecidere sopore remissis,
Collaque pulvino nostra ferenda dedi.

Delicata prorsus venustate efficta est pictura. Nunc in turri omnia silent; nam Herus nutrix iam somno laxata est, et interroganti puellae an Leandrum exisse domo putaret vix responderat, XIX, 45 :

Annuit illa fere, non nostra quod oscula curet,
Sed movet obrepens somnus anile caput.

In adumbrandis breviter rerum hominumque lineamentis mollissima est Nasonis oratio et ad efficiendum quod sibi hic proposuerat aptissima; adeo autem simplex et cottidiano sermoni similis, praecipue cum affectus exprimendi sunt, ut nihil arcessiti et elaborati prae se ferat. Nonne miraberis qualem Ariadnes, discedente iam Theseo, stuporem hic descripserit, X, 9 sqq.?

Incertum vigilans, a somno languida, movi
Thesea prensuras semisupina manus :
Nullus erat : referoque manus iterumque retento,
Perque torum moveo bracchia : nullus erat.
Excussere metus somnum : conterrita surgo,
Membraque sunt viduo praecipitata toro.

Haud rari apud Ovidium loci reperiuntur in quibus subtilitate simul et pondere, proprietate et vi verborum descriptiones movendis concitatius affectibus idoneae eniteant : en proficiscentis Helenae pictura, VIII, 75 :

Vix equidem memini, memini tamen; omnia luctus,
Omnia solliciti plena timoris erant.

1. Cf. J. J. Rousseau, *Nouv. Hél.*, IV, 17; Victor Hugo, Olympio, *Rayons et Ombres*, 34; Lamartine, *le Lac*, *Prem. méd.*, III; A. de Musset, *Souvenir*.

Flebat avus Phoebeque soror fratresque gemelli;
Orabat superos Leda suumque Iovem.
Ipsa ego non longos etiam nunc scissa capillos,
Clamabam : sine me, me sine, mater, abis?

Motus igitur animi, praecipue illos qui sunt molliores et ad fletum misericordiamque adducunt, flexibili, tenui, significanti oratione vestit Ovidius; sed aliquando pressus quoque et concitatus et asper et acriorum personarum ingenio accommodatus; neque eodem sermone queruntur modestae feminae, Penelope et Laodamia [1], aut ardentes puellae, Hermione et Hypsipyle [2]; quae sic Thessalum hospitem interrogat, VI, 25 :

« Aesonides, dixi, quid agit meus? » Ille pudore
Haesit, in opposita lumina fixus humo.
Protinus exsilui, tunicisque a pectore ruptis,
« Vivit, an, exclamo, me quoque fata vocant? »
« Vivit », ait timidus ; timidum iurare coegi.

Fractus ille et quasi anhelans sermo exprimendo feminae amantis dolori et sollicitudini omnino esse idoneus videtur. Assurgit igitur nonnunquam Naso, ut nihil elatius desideres; et quidquid inane ac redundans recidit, adeo ut nihil siccius, sanius graviusque simul requiras :

Urbe virum iuvi, tectoque animoque recepi.
VI, 55.

At postquam nec te nec tela fugacia vidi,
Et quod spectarem nil, nisi pontus, erat,
Lux quoque tecum abiit, tenebrisque exsanguis obortis,
Succiduo dicor procubuisse genu.
XIII, 21.

Amabilis prorsus est Ovidianae orationis tenor, et qui omnes dicendi laudes prae se ferat; sed parum constans et temperans ingenium non effecit ut in excellentibus virtutibus permaneret.

Accedit mira quaedam latine scribendi facultas et singularis adeo vernaculae linguae calliditas, ut meram latinitatem in Epistulis agnoscamus. Ex puro fonte verba fluunt, raro autem

1. Cf. I, 97; XIII. 21 sqq.
2. Cf. VIII, 55; VI, 75 sqq.

quicquam occurrit insolens, aut arcessitum, aut ex antiquioribus usurpatum; Ovidius enim acerrima sane ingenii indole, sed et multis litteris, et iis quidem reconditis exquisitisque, id consecutus est ut inter omnes fere poetas latine loqueretur elegantissime. Inest quoque in eius sermone pondus, vixque unum et alterum afferre possis verbum fractum, languens, redundans, in quo proprietatem desideres; qualia in his versibus :

Tu mihi iuratus per numina *matris aquosae*.
III, 53.
Et mecum *fugias* quae tibi dantur opes.
Ib., 56.
Aut rutilo *missi* fulminis igne cremer.
Ib., 64.

Singulos versus si severiore iudicio exagitare libuerit, quaedam huiusmodi verba parum sobria siccaque reperiemus, et saepe J. C. Scaligero assentiemur, qui, versum illum indicans, Hel. epist. XVII, 107,

Si te vidissem, primus de mille fuisses,

exclamat sollemniter, Poet. VI, c. VII : « hic plus quam monachalis est. » Sed in tanta huius poetae facilitate et festinante scriptione, qui fieri potuit ut voces passim inopportunae aut supervacantes non exciderint?

Ad augendam latini sermonis copiam inventis vocabulis aliquid conferunt Epistulae, quia in verborum usu sententiarumque conformatione Naso feliciter sane audet. Hunc enim iuvat nomina a vulgari more avertere et inter se insolentius iungere, ut voces novatae esse videantur. Et mihi quidem de Ovidiana in Her. Epistulis arte tantum disceptanti exempla omnia colligere supervacaneum esset; pauca tamen haec referre proderit : antiqui Nestoris (pro senis) I, 63; viduas manus, I, 10, cf. I, 81, XIX, 69; venit (pro est) amor, IV, 19, cf. XIII, 102; est aliquid, III, 131, IV, 29; quod tu non esses, IX, 106; hoc illic Medea fui, nova nupta quod hic est, XII, 27; littera (pro epistula) XV, 1, XVI, 340, XVIII, 15; formosis *posse* carere (circumlocutio frequens) XVII, 99, cf. IV, 168, V, 86, XIII, 62, 76, 160, XX,

74; lacrimas hoc mihi *paene* movet (adverbium pro substantivo positum), XVIII, 180.

Adde novata aut primum in poesin inducta haud pauca vocabula; cui quaestioni enucleandae egregias curas impenderunt eruditissimi viri, inter quos eminent F. C. Hultgren, J. Favre, A. Draeger et recentissimus E. Linse [1], adeo ut censeat hic, p. 4 « praeter ceteros poetam Sulmonensem vocabulorum novatorem esse uberrimum eundem felicissimeque audacem. » Nam praeter nomina canum et equorum, ab eorum virtutibus aut coloribus deducta, et nomina propria atque adiectiva plurima, patronymica praecipue et ethnica, vocabula in Heroidibus novem et quadraginta novata collegit diligentissimus vir, *op. cit.*, p. 26-57; quibus etiam addi possunt *actor*, sensu proprio, I, 95, quod omittit, *refugus* et *retento*, quae in Metamorphosesi primum exhibita Linse haud recte putat.

In novandis vocabulis quaedam animadvertenda sunt, quae ad recte aestimandam Ovidii in componendis Heroidibus artem haud levis pretii sunt. Etenim apparet non solum inventis illis eleganter conformatis eximiam huius poetae narrandi pingendique facultatem plurimum adiutam esse, sed etiam illis Ovidium ita usum esse ut, « cum adhuc in elegis poetarum aetate praecedentium, Catulli, Tibulli, Propertii, spondei superarent dactylos, in ipsius poematis dactyli superarent spondeos [2]. »

In struenda sententia, quae fere tota a verbo pendet, audacissimum se Naso praebet, et haud scio an quondam parum pure et emendate loquatur; nullos tamen soloecismos in Heroidibus inveniri, propter quos una vel plures earum Ovidio abiudicentur, ex commentatione accuratissima liquet quam *De casuum usu Ovidiano* scripsit P. Hau [3], ita ut de hac re disserere supervacaneum sit et minime proposito nostro accommodatum. Ad

1. F. C. H. *Observ. metricae in poetas elegiacos Graecos et latinos,* Lipsiae, 1871-72, et *Die Technik der röm. Dichter in epischen und elegischen Versmass*, in Fleckeiseni annal., t. 107, 1873, p. 745 sqq.; J. F. *De Ovidio novatore, op. cit.*; A. D. *Ovid als Sprachbildner*, progr. gymn. Auricensis, 1888; E. L. *De P. Ovidio vocabulorum inventore*, Tremoniae, 1891.

2. Linse, *op. cit.*, p. 59.

3. Monasterii, 1884, 142 p. Cf. Tolkiehn, *op. c t.*, p. 104-108.

intellegendam enim Ovidii artem scribendi satis fuerit observasse in componendo substantivo cum verbo aut adiectivo feliciter audere poetam, non tamen ut syntaxis leges offendat et licentia poetis concessa abutatur.

Inusitatiora tamen verba quaedam animadverti possunt : concinere, XV, 154, rorantur, XV, 97, XIX, 124; gemere aliquid, VI, 153; virum lugebit, XIII, 73; praeradiare signa, VI, 106; credor = mihi creditur, XVII, 131; hoc dubito, XVII, 39. Saepissime constructio graeca usurpatur : nox erat incipiens, XVIII, 55; tellus regnata, X, 69; iurata numina, II, 23; properata foedera, IV, 147; noctes vigilantur, XII, 71; vir carendus, I, 50. Absolute adhibita verba nota : gubernare, XV, 215, fert animus, XIII, 83; mandantis verba, XIII, 13; mittere, XIV, 1; narrantia verba, XIII, 119. Ad morem graecum referenda est figura etymologica : fas facere, IV, 134; pensa rependere, IX, 78; canere carmen, II, 118; et verbo adiectivum neutrius generis additum : nunc ea peccemus, XVI, 297; dulce queri, XVIII, 82; incertum vigilans, X, 9. Mos quoque graecus in construendo verbo adhibetur : te quaerere misso, I, 37; sunt vires pellere inimicos, I, 109; vivere pugna, XIII, 75. Alia lasciviae aut felicis aut temerariae genera exhibentur :

Vincere erant omnes dignae, iudexque verebar
Non omnes causam vincere posse suam.
XVI, 75.

Utque rogem de te et scribam tibi, si quis Abydo
Venerit, aut quaero si quis Abydon eat.
XIX, 29.

In temporum usu notandum est infinitivum perfecti pro infinitivo praesentis saepe ab Ovidio, utpote pentametro aptissimum, usurpari : non repetisse parum, III, 25, 110, 117, 131; tulisse bella, VIII, 26, etc. Plusquamperfectum deprehenditur ubi perfectum exspectatur, III, 40 et 150, VIII, 41, etc.

In collocandis vocabulis animadvertendum est inter praepositionem et nomen interiectas saepe esse plures voculas :

In mihi promissi parte recepta tori.
VI, 20.

Denique coniunctionum « quamvis et forsitan » usus is est ut Ovidius saepe cum indicativo eas coniungat, quae audax etiam apud poetas licentia et carpenda videtur :

quamvis haec quoque culpa tua est.
III, 8.

Nec tenuit cursus forsitan iste tuos.
II, 14 [1].

Ex his observationibus apparet Ovidium aliquando in flectendis struendisque substantivis, adiectivis et verbis lascivire; eas autem licentias acrius in poeta carpere iniquum sit, ideoque assentiendum est iudicio quod de casuum usu Ovidiano pronuntiavit P. Hau, *op. cit.*, p. 141 : « Paucissima, quae ab aureae aetatis usu aliena sint, legi in carminibus Tomis factis, in Metamorphosesi multo plura inveniri, inter Metam. et carmina in exsilio scripta ponenda esse carmina amatoria et Fast. libros. » Nam in Heroidum elocutione non tot reprehendenda videntur, quot iniquissime carpsit Lehrs[2] ; et lasciviam quidem nonnunquam, barbariam autem et impoliti sermonis vestigia rarissime deprehendes. Non ego offendor illo vocabulo « Letifer [3] » quod Lehrsio (p. CCXXIII) displicet; neque versus 111 et 115-116, her. IX et pauci alii inelegantes videntur. Infeliciores quidem existimo translationes quas interdum Ovidius ex re Romanorum castrensi aut ex iure usurpat, IX, 109 :

Illi procedit rerum mensura tuarum :
Cede bonis : heres laudis amica tuae.

Ita enim militibus quoque stipendia et aera *procedere* dicebantur cum anni, per quos militarent, ad missionem prodessent. Huiusmodi autem sermo, etsi diversitatem in orationis tenorem inicit, ad poeticum colorem parum proficere videtur; Romanis tamen lectoribus probabilior illa fuit lingua, quam quae his versibus exhibetur :

Acer *in extremis ossibus* haesit amor.
IV, 70.

1. Cf. Tolk., *op. cit.*, p. 106.
2. *Adversarien über die sogenannten Ovidischen Episteln*, e Fleckeiseni annalibus a. 1873 iterum in Horatii edit. expressa CCXXII-CCLIV.
3. *Her.*, IX, 141.

Ora ferox in se versa *lacertus* habet.
Ib., 82.
.... *mensuram* nominis ipsa *fero*.
XV, 34.
.... *vidi* mulcentem pectora *somnum*.
XVIII, 27.
Cetera cum charta *dextra locuta* mea est.
Ib., 20.

Ego quatenus existimare possum, istum sermonem audacem sane esse intellego et quem acriores nasutioresque viri carpere velint; nam novandae linguae cupiditas iam in Ovidii carminibus deprehenditur, mox autem in omnes partes manabit effunde-turque et in deterius sanum loquendi morem trahet. Interim vitia ista in Heroid. epistulis admodum pauca reperies, et quae, si quando furens plenusque deo poeta admittat, vix ausim rese-care. Est enim incepti satis lubrici egregiorum poetarum artem reprehendere, quoniam fieri potest ut parum circumspectus existimator damnet quae non intellegat.

Eadem iudicandi regula, quod ad rem metricam attinet, reti-nenda est; quanquam pleraque Ovidii placita quasi carminis leges accipienda sunt : « Nam et licentiarum pleraque recidit et caesurarum atque elisionum primus eas leges constituit, quas ut necessarias universo latinae artis progressu ne ii quidem inse-quentium contempserunt, quibus magis placeret Vergilius [1]. » Ideo nihil tam dulce, tam ad permulcendas aures aptum, tam fluidum canorumque quam Ovidiani versus; adeo omnia arte magistra sunt elimata et prompta ingenii facultate expressa. Ita in maxima facilitate illa tamen elaborationis cura conspicitur, et cum Epistulas attento animo perlegimus, de horum carminum numeris iudicare possumus quod de Fastorum suavitate scripsit Dan. Heinsius in libro de constitutione tragoediae secundum Aristotelem : « Numerorum autem tanta in hoc scripto paritas, simplicitas atque invidenda suavitas, ut, quid magni viri velint, cum mutari quosdam posse existiment, neque ipsi, nisi fallor, neque nos intellegamus. » Quid plura? ingenitam illam in versi-bus facilitatem ipse Ovidius enucleatis verbis innuit in Trist. IV,

1. L. Mueller, *De Re Metr.*, p. 91.

10, 24, cum parentis sui, ut ipsum a musarum studio averteret, conatus narrat :

> Scribere conabar verba soluta modis;
> Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
> Et quod tentabam dicere versus erat.

Etenim convenientissimum et suavissimum concentum facillime poeta servat, quamvis severioribus legibus versum, praecipue pentametrum, astrinxerit. Ideo illi qui has quaestiones ad rem metricam pertinentes presserunt [1], Ovidianum prorsus ingenium et facilitatem in tractanda hac artis parte agnoverunt; et quo magis in Epistularum et ceterorum carminum studio elaborarunt, eo melius faciem in omnibus unam eandemque lineamentis, colore, sanguine agnoverunt. Ex accuratissimis igitur eruditorum virorum disquisitionibus elucet contra prosodiam in Heroidibus rarissime ab Ovidio peccatum, adeo ut vix notanda sint (Esch. c. III, 2) *altă Zacynthos, beluă stravit* [2], et quaedam alia quae, diligentissime collecta ab Hilbergio (*op. cit.*, p. 2 sqq.), non impedimento fuerunt quin ille inter pentametri Ovidiani leges primum reverentiam prosadiacorum et metricorum praeceptorum poneret, *op. cit.*, p. 1. Ita et elisionum caesurarumque regulae molestae Ovidio minime fuisse videntur; nam vix semel et iterum laesae sunt metricae praescriptiones, adeo arte eximia et severo iudicio conectuntur pedes, et observantur arses thesesque quae elisionem facillime patiantur (Eschenb. *Metr*, p. 2, 8 et 13-16; et Hilberg, p. 413 sqq.). Vix reprehendenda est, praecipue in pentametro, rarissima vocabuli in *m* exeuntis, et paulo frequentior syllabae longae elisio : « bellum erat, III, 95, sume fidem et pharetram, XV, 23 » ; sed peccatum esse solum videtur in trito loco, XV, 96 : « verum ut amare sinas. » Nam elisiones, quales sunt « disce meo exemplo XVII,

1. Praeter celeberrimum L. Muellerum, *De Re Metrica*, cf. Eschenburg, *Metrische Untersuchungen*, etc., 30 p. et alterum progr. Lubeck, *op. cit.*; Tolkiehn, *op. cit.*, p. 108 sqq. et praecipue Isidor Hilberg, *Die Gesetze der Wortstellung in Pentameter des Ovid*, 892 p., Leipsig, 1894.

2. Sed var. *texit*, *tinxit*, et Sedlmayer *pressit*.

99, utque rogem de te et XIX, 29, certe ego salvus ero [1], XX, 180 », apud alios poetas et in ceteris Ovidii carminibus occurrere exemplis ab Hilbergio collectis constat. Denique in versu VIII, 71,

Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci,

parum offendunt elisio et hiatus, quia versus vocabulis graecis refertus est. Cura est quoque Ovidio ut prima pentametri pars praecipue syllabis natura longis, rarius illis quae dicuntur communes, rarissime illis claudatur, quae positione producuntur (cf. Hilberg, *op. cit.*, p. 447, 583, 639 sqq.). Denique caesura quae appellatur bucolica,

Irus egens pecorisque Melanthius...
I, 95.

adeo rara est ut vix notanda sit (cf. Eschenb. *Metr.* p. 19).

In pentametris paucissimi versus animadvertentur, quibus clausula vocabulis polysyllabis efficiatur; summa enim diligentia et severa arte pentameter ab Ovidio elaboratur. Ideo in trisyllabum aut breve disyllabum aut choriambum raro exit : « danda forent generis, XIV, 62; accipere, apta dare, XV, 130, magna pudicitiae, XVI, 290, cf. XVII, 18, XIX, 202. Sed in aliis carminibus, praecipue in epistulis ex Ponto et Tristibus easdem licentias notavit J. Heuvves [2], neque multum urgendus ob hanc rem est poeta. Postremo ita concinnati sunt Heroidum versus tam artificiosa et canora dactylorum et spondeorum ratio, ut quamvis nonnulli versus solum spondeis aut dactylis constent (Eschenb. Met., c. III, 3, 4) aut spondiaci clausula evadant, rhythmi dulcedo et modulatio aures permulceat. Etenim non solum curat Ovidius ut maior sit principiorum dactylicorum, et quam minimus spondiacorum numerus [3], sed in exprimenda sententia neque obscurus, neque contortus, neque putidus est

1. *Sedlm.* ponit « terque ego » emendationem secutus Gilberti, *Ad Ovid. her. quaestiones*, Misenae 1887, p. 17. Sed vulgata placet.

2. *Op. cit.*, p. 43 sqq. Sed mirifice facit vir ille, qui inde colligit scriptas extrema Ovid. aetate Heroides, p. 12-20, 36, 57.

3. Tolk., *op. cit.*, p. 110, et Hilberg, p. 657, 752 sqq

(Cf. Hilberg, p. 18, 103, 273, passim) et communem in ordinandis vocabulis usum servat et in bono lumine attributum, substantivum, verbum collocat. Neque tamen fastidiose et uno tenore fluit versus, sed tam callida est vocabulorum constructio, ut prosodiacae et metricae leges, concentus, perspicuitas, vis, veritas, concisa brevitas, in Ovidianis distichis enitere Hilbergio (*op. cit.*, Concl. p. 845) videantur. Metri quoque repetitione et decussatione poeseos gravitas augetur et dictio ornatur; nam non solum singulorum hexametrorum, sed totorum distichorum repetitiones metricas saepe animadvertes, sicut luculentis exemplis demonstrarunt C. Hultgren et Tolkiehn [1].

Iam nitidas Ovidii virtutes in pangendis versibus introspicere facilius est. Nam si Heroides diligenti manu evolveris, nusquam fere studium aut affectatam artem deprehendes, nihil horridi aut contentione elaborati; sed sponte sua omnia ad rhythmum se accommodant et miram quandam versuum dulcedinem exhibent. Inde fit quoque ut haec carmina facillime complectatur et fidelissime memoria servet, quippe quae tanta suavitate concinnata sint, ut ne syllabam quidem mutare plerumque, salva numerorum modulatione, possis. Igitur quid disticho Ovidiano perfectius? Licet unum quemlibet locum sine consilio et delectu perpendas, statim recinentes lenissime versus avidis auribus percipies et flebilia modulamenta exquisitaque concentu verba miraberis. Vide an aptissime sententiis et affectibus numeri vocabulorum suavitate et dispositione respondeant, I, 81-90 :

Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit et immensas increpat usque moras.
Increpet usque licet; tua sum, tua dicar oportet;
Penelope coniunx semper Ulixis ero, etc.

Dolorem et impotentem iram idoneis numeris exprimit Hermione, VIII, 57 :

Rumpor et ora mihi pariter cum mente tumescunt,
Pectoraque inclusis ignibus usta dolent.
Hermione coram quisquamne obiecit Oresti,
Nec mihi sunt vires, nec ferus ensis adest?

1. Hultg., *Observ. met.*, *op. cit.*, p. 1-28, et *Die Technik*, *op. cit.*, p. 745 sqq. Tolk., *op. cit.*, p. 112-116.

Nonne celeritatem, quam a marito postulat, ipso versuum concentu feliciter significat Laodamia, XIII, 99?

Cum venies, remoque move veloque carinam,
Inque tuo celerem litore siste gradum.

Denique quis non sentit exspectantis animi dubitationem aut spem concinentibus aptissime versibus a Paride describi, XVI, 79?

Tantaque vincendi cura est : ingentibus ardent
Iudicium donis sollicitare meum.
Regna Jovis coniunx; virtutem filia iactat;
Ipse potens dubito, fortis an esse velim.
Dulce Venus risit.

Ideo haud frequenter syllabarum concursum parum numerosum versus praebet; nonnunquam tamen sonos male iteratos mutatos esse velles, VII, 135 :

Accedit fatis matris miserabilis infans;

nisi forte gemitum quendam extremis horum vocabulorum litteris exprimi censes. At certe vana haec unius litterae agglomeratio videtur, XVI, 146, 148 :

Famaque de forma paene maligna tua est,
Et tua materia gloria victa sua est...
Hectora, quisquis is est, si sum tibi cara, caveto,
XIII, 65,

Adde in Oenones epistula versum leoninum, V, 131 :

Vim licet appelles et culpam nomine veles,

sicut in Hermiones, VIII, 29 :

Vir, precor, uxori, frater succurre sorori.

Occurrunt nonnunquam hexametrorum clausulae eodem verbo constantes, IX, 111-113, etc.; multo saepius duo vel etiam tres pentametri similiter desinunt, III, 14-16 (dedi, capi), 28, 30, 32 (comes, preces, pares), etc.; haud raro trium distichorum primus pentameter clausulae similitudine cum tertio

consonat, III, 72, 76 (tuos, colos) [1], etc.; denique leoninus saepe pentameter evadit, I, 26 (patrios, deos), 32 (exiguo, mero), 36 (admissos, equos), etc. (Cf. Tolkiehn, *op. cit.*, p. 154). Hanc concinentiam eo minus vitare potuit Ovidius quo magis epitheta ab substantivis seiungere studebat. Non tamen omnino excusandus hic videtur, quia latinorum versuum concentus apta syllabarum longarum et brevium compositione et certa metrorum ratione constabat, consonantibus autem clausulis aut leoninis versibus repugnabat, adeo ut huiusmodi concinentia, decrescente et senescente poetica arte, apud Romanos sola postremo viguerit, cum pristinae metrorum leges inscientia obsolevissent. Sed in admittendis talibus licentiis quaedam latinis poetis concessa esse meminerimus, et nos indulgentes praestemus oportet, quia levia haec vitia praefulgentibus virtutibus sane obscurantur.

Nunc pauca de quibusdam Nasonis artificiis addam, quae in componendis versibus usurpantur. Occurrit imprimis ille repetitionum usus, quibus splendor et gravitas sententiis additur, II, 143 :

> Stat nece matura tenerum pensare pudorem;
> In necis electu parva futura mora est.

Sollemnis hic est poetae mos, nec sane infelix labor, nisi cum intemperantius in eum ille proruit, IV, 143 :

> Ut tenuit domus una duos, domus una tenebit;
> Oscula aperta dabas; oscula aperta dabis [2].

In huiusmodi enim locis rhetoricae scholae naevos reperiri jure existimes, et minus his deliciis indulsisse poetam velles. Probabilior sane ars illa est, qua verba contrarie relata sunt, quoniam splendidius ita versus illustrantur et adverso sententiarum concursu acrius animos irritant, III, 97, 100 :

> Sola virum coniunx flexit.....
> Saepius in domini serva vocata torum.

Plano hoc et tironibus etiam aperto artificio utinam ille tem-

1. Cf. Tolkiehn, *op. cit.*, p. 123 sq.
2. Cf. Eschenburg, *op. cit.*, c. IV, 1 et 2.

perantius usus esset, quia prava fit consuetudo, cui impotens poeta non moderatur!

Exquisitum magis et reconditum in Ovidianis distichis aliquid reperitur, quod pentameter expositio est sententiae in hexametro praecedenti inclusae, I, 13, 31.

In te fingebam violentos Troas ituros;
Nomine in Hectoreo pallida semper eram.....
Atque aliquis posita monstrat fera praelia mensa,
Pingit et exiguo Pergama tota mero.

Heroidum librum licet totum evolvas, vix in locum incides quo morem illum Ovidianum non deprehendas. Atque ego hunc tantum abest ut vitiosum esse existimem, ut contra laudandum saepius affirmem, scilicet quotiens non mera sententiae repetitio effertur, sed artificioso incremento progreditur oratio; cum vero nec gravius nec diversum prorsus quicquam in pentametro expromitur, tarda et languida incedit expositio :

Firmius o cupidi tandem coeamus amantes,
Nec careant vera gaudia nostra fide.
XIX, 72.
Nil ego peccavi, nisi quod periuria legi,
Inque parum fausto carmine docta fui.
XXI, 181.

Nonnunquam verba ipsa in quadrantem ordinem disposita esse et paria paribus relata dicas, XIX, 80 :

Certe ego tum ventos audirem laeta sonantes,
Et nunquam placidas esse precarer aquas.

Iam ne minutioribus rebus diutius immoremur, felicem Ovidii indolem in metrica arte satis enucleate explicatam esse existimo. Quantum autem hac parte ille emineat, vel inde iudicari potest quod apud posteros nec minore quam Vergilius auctoritate valuit, nec pauciores sui imitatores habuit, carminum vero normam, qualem hic in disticho statuit, religiosissime observarunt. Longo sane intervallo antecedit Maro, et cum Nasone sententiarum affectuumque gravitate alii quoque elegorum scriptores certare possunt; attamen in pangendis eleganter et subtiliter versibus summus hic est in Heroid. epistulis artifex et forsan

ceteris anteponendus. Liceat sententiam Luc. Muelleri, qui rem acu tetigit, referre, *de re met.* VII, p. 408 : « Maronis, etsi fuit poeta quam versificator longe melior, placita probavere haud pauci. Deinceps Ovidius, novae auctor artis, pleraque veterum licentiarum, quae mixtae erant latina proprietate et graeca, dum recidit, pariter elegantiae et libertati prospexit. Hunc igitur virum, qui principatum haud dubie tenet artis latinae, veneremur, hunc imitemur. Hic sciat se plurimum profecisse, cui plurimum probetur Ovidius. Huius quot sunt versus, totidem sunt artificia, quovis Phidiae illa vel Praxitelis opere non minora. Et quod semper est perfectae indolis poeticae, cum sentias artem inesse summam, laborem persentiscis nullum. » Tum ex animadversionibus in hoc capite collectis forsitan aliud concludere liceat, quod ad Her. epistulas Ovidio vindicandas haud parvi momenti sit, scilicet inter haec et cetera Ovidiana carmina, quod quidem ad elisiones, caesuras, rhythmos, clausulas, totumque versuum artificium attinet, nihil interesse [1].

1. Cf. Eschenb., *Metr.*, *op. cit.*, p. 8 sq., 16 sq.

CAPUT V

UTRUM QUAEDAM HER. EPISTULAE, QUOD AD POETICAS VIRTUTES PERTINET, GENUINAE AN SPURIAE ESSE VIDEANTUR.

De quarundam Epistularum arte non consentiunt docti viri, et iam diu an ab Ovidio conscriptae omnes sint acerrime disputatum est; quae quidem difficilior est quaestio quam fructuosior. Quidam eruditissimi auctores sex postremas, amatorum litteras, feminarumque responsiones indignas hoc poeta pronuntiarunt et tanquam spurias abiecerunt, Sabino adiudicantes [1]. At eodem decimo quinto et sexto saeculo doctissimi alii viri tres tantum earum, XVII, XIX, XXI, Sabino ascribentes Ovidio detraxerunt [2]; alii denique duas solum postremas, aut etiam unam XV suppositiciam existimarunt [3]. Recentioribus vero temporibus nobilissimus Lachmann, in libello academico an. 1848 scripto, octo tantum epistulas, I, II, IV, V, VI, VII, X, XI, Ovidio tribuit; ceteras autem, quasi elisionis ratione aut polysyllabis in pentametri fine positis ab Ovidiano usu discrepantes, illo indignas putat. At Lachmanno adversatur non minus eruditione clarus L. Mueller [4], cui illius argumentationes neque a codicum consensu neque ratiocinandi firmitate tam videntur graves, certum ut sit inde et firmatum epistulas reliquas, praeter illas octo, nullo pacto videri posse scriptas ab ipso Ovidio; hic igitur edicit omnes ferre illius esse cuius nomine prolatae sint, si modo XV, XX, XXI, excipias, quas argumentis ex codicum inspectione sumptis suppositicias censet; et tamen statuit nullam omnium

1. Cf. Domitium Calderinum, *ad Her.*, XV, 126; Scaligerum, *ad Her. initium*; Vossium, *De poetis latinis.*
2. Cf. Aldum in calce edit. T. I.
3. Cf. Stephanum, *Diatr. ad Horat*; Burmannum, in edit. Heroid.
4. *De re metrica.* prooemium, p. 46 sqq.

Epistularum post Augusti et Tiberii tempora scriptam, *op. cit.*, p. 48.

Nuperrime vero fervidius exarsit circa Ovidianas Heroides certamen, et diversas in partes scriptae sunt gravissimae commentationes. Nam si Lachmann ex prioribus litteris sex detrahit, Ovidio praesto sunt plures advocati etiam inter eos qui sex postremas quasi spurias abiciunt; proposito meo satis fuerit referre sententiam Birtii, *op. cit.*, p. 389 : « de epist. 3, 8, 9, 12, 13, 14, acutius quam verius egisse Lachmannum non latuit... apparetque ex iis quae novissimus Eschenburgius composuit [1] Lachmanniana argumenta excutiens, firmans, amplians, vacuam a vitio omni tertiam decimam esse, vacuam et tertiam, exigua tantum culpari posse in Hermiona, Deianira, Medea, graviora aliquanto in Hypermnestra. » Et nuper laudata commentatione sex illas praecipue epistulas discussit doctus vir Tolkiehn (*op. cit.*) et neque argumentis, neque oratione, neque metricis rebus dispares ceteris Ovidianis esse statuit. Quid igitur de infensissimo Lehrsio censes qui (Avers. über Die sog. *op. cit.*) heroides omnes, quia essent ineptiarum plenissimae, Ovidio indignas esse pronuntiavit? Mirum sane videbitur tam eruditum philologum minime odoratum esse quantum hae epistulae Ovidianum nescio quid redoleant.

Ceterum tantae auctoritatis adversario parem patronum opponere possis W. Zingerleium [2], qui omnibus collectis locis, quibus in ceteris Ovidii carminibus similes reperiantur loci, omnes Heroides genuinas esse putat. Sunt etiam qui, Lachmanni auctoritatem primum secuti, deinde mutata voluntate ab diversa parte steterint; qualis Eschenburg, opinione praeiudicata rem metricam de Heroid. epistulis aggressus, posterius examinata diligentius Ovidiana loquendi ratione, a priore sententia se descivisse declaravit, et iam omnes Heroides, praeter Sapphus epist., Ovidio tribuendas esse statuit [3]. Nihil igitur egisse videtur Al. Bilger, qui epist. XVI et XVII impugnavit et indignas esse

1. Esch., *Metrische Untersuchungen über die Echtheit der Her. des Ovid.* progr. Lübeck. 1874.

2. W. Z., *Untersuchungen zur Echtheitsfrage der Her. Ovids*, Œnip. 1878.

3. In progr. Lubeck. 1886, *Wie hat Ovid einzelne Worter*, etc., *op. cit.*

Ovidio demonstrare conatus est [1]. Gravissimae huic visae sunt ratiocinationes Birtii (*op. cit.*, p. 389 sq.), qui, arte metrica diligenter excussa, epistulas inter se comparavit, et quantopere hae duae a ceteris discrepent comprobare aggressus est. Sed Birtii animadversionibus repugnat Riese [2] et evincit illius tabulis nihil confirmari, quia similitudines inter priores et posteriores epistulas tales eniteant ut Ovidianam originem prodant. Hanc cognationem inter ep. XVI et XVII ceteraque poetae scripta exstare fatetur Bilger, sed nihil hac ex re concludi posse censet; nam et ei, qui Ovidii carmina imitari vellet, saepius ea erant legenda, ita ut necesse esset eum permulta memoria retinere, et nisi essent similitudines, epistulae illae nunquam genuinae putatae essent [3]. Ceterum multa inepte dicta ei videntur, et aliena ab usu Ovidiano, et sensu carentia, et arti grammaticae ac metricae repugnantia, denique vitia nimis multa esse quam ut illas epistulas, una cum ep. XVIII-XXI ab Ovidio compositas esse credamus (*op. cit.*, p. 125-127). Haec propria sit huius viri opinio, quoniam Ovidianae virtutes, quas in his epistulis agnoscit, nescio cui imitatori tribuere mavult. Ego vero quaeram quis esse potuerit callidissimus ille artifex, et cur ille tam subtilis, elegans, sollers lepidusque Pseudovidius nullum sui vestigium in grammaticorum commentariis reliquerit. Nonne melius difficultas de hac quaestione expeditur, si epistulas Ovidianis fere omnibus notis signatas ab ipso Ovidio compositas esse censes?

In tanta caligine et sententiarum diversitate, cum damnatarum Heroidum materiam, tenorem, scribendi artem considero, equidem eorum opinionem libentius amplector, qui leviora ista omnia esse argumenta iudicaverunt, quam ut ullam Her. Nasoni detraherent. Nam cum ipse Mueller pronuntiet bonitate aut pravitate incertorum librorum definire aetatem esse apertam temeritatem, nonne mira videbitur illorum levitas qui audacibus decretis has aut illas Heroides suppositas statuunt? Nullam enim satis certis argumentis Ovidio abiudicari posse illi ostenderunt, et

1. *Paridis et Helenae epist. sintne Ovidii*, 134 p. Marpurgi, 1888.
2. Iahresb. v. Bursian, 1877, p. 21 sqq.
3. Bilger, *op. cit.*, p. 122.

ad probandam suam sententiam tantum locum iactant Am. II, 18, 21 :

Aut quod Penelopes verbis reddatur Ulixi
Scribimus, aut lacrimas, Phylli relicta, tuas;
Quod Paris et Macareus et quod male gratus Iason
Hippolytique parens, Hippolytusque legant;
Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
Dicat et Aeoliae Lesbis amata lyrae.
— Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus,
Scriptaque diversis rettulit ille locis!
Candida Penelope signum cognovit Ulixis;
Legit ab Hippolyto scripta noverca suo;
Iam pius Aeneas miserae rescripsit Elissae;
Quodque legat Phyllis, si modo vivit, habet;
Tristis ad Hypsipylen ab Iasone littera venit;
Det votam Phoebo Lesbis amata lyram.

Quoniam in hoc loco Ovidius prioris tantum partis epistulas commemoravit, quas feminae amatoribus scribunt, et protinus virorum nomine responsiones a Sabino concinnatas esse addit, inde illi temere colligunt sex eas, quibus heroes scribant et feminae respondeant, ab Ovidio non esse compositas. Nec modestiore et circumspectiore iudicio pronuntiaverunt illi qui tres solum epistulas, XVII, XIX, XXI, huic detraxerunt, cum argumentum aliud non afferant, nisi ad quasdam prioris partis Heroides a Sabino responsa vulgata, et inde concludant harum puellarum quoque litteras ab eodem conscriptas esse. At ea prorsus audacior est asseveratio neque proposita conclusio ex ratiocinatione exoritur; nam si huiusmodi argumentum valeret, eodem iure abiudicare Ovidio possent eas omnes quarum mentionem hic non fecerit.

Quam autem vanae videri possunt argutiae eorum qui, cum memorassent, ut Lachmann fecit, in Herus epistula vocem *nihil* pro pyrrhichio positam [1], exclamant hoc ab Ovidii usu esse alienum, quippe qui semper ultimam huius verbi syllabam produxerit, ideoque spuriam habendam esse totam epistulam? At

1. XIX, 170.

notati sunt alii huius poetae versus [1], in quibus correpta finali *nihil* adhibetur, Trist. IV, VIII, 38; V, VIII, 2 :

> Mitius immensus quo nihil orbis habet.
> Te quoque sim, inferius quo nihil esse potest.

Et in Metam lib. X, 520, pariter breviatur ultima; denique producta et correpta in eodem versu apparet haec syllaba, Epist. e Ponto III, I, 113 :

> Morte nihil opus est, nihil Icariotide tela.

Denique licet quondam in prosodia poeta quilibet erraverit, non ideo protinus statuendum sit carmen esse suppositum; ut si Horatii ad Pis. Epistulam spuriam esse contendas, quod in ea hic peccet, syllabam natura productam corripiens in voce *palus*, v. 65 :

> Regis opus; sterilisve diu palus...

Nempe optimi aliquando dormitant poetae ac quasdam sibi licentias concessas esse putant, prorsusque non legis morositate obstringi se patiuntur, ut qui non in criticorum usum, sed ad oblectandos homines liberalibus studiis politos carmina componant.

Eadem ratio et iudicandi norma, quod ad abiudicatarum epistularum orationem pertinet, retinenda est; quam in Heroidibus XX et XXI ieiunam et scabram Burmannus, nullo alioquin argumento horum vitiorum prolato, aliique audacter dixerunt; Lachman vero (*op. cit.*) plures, et Merkel (praef. p. 10) earum quasdam non Ovidio solum sed etiam eius quidem aequali aut amico indignas esse pronuntiarunt; nam Lehrs obelo in omnes saevit, adeo carere eae orationis lepore et elegantia videntur. De hac quaestione primum viderint docti viri an consentiant; mihi enim solum propositum est quaerere an arte solita has epistulas poeta perfecerit; quatenus autem assidua lectione existimare possum, non ab Ovidiana consuetudine abhorrere videtur damnatarum Heroidum oratio, sive virtutes sive vitia intueor. Ceterum earum venustatem eruditissimi alii editores laudaverunt, inter quos Fr. Heusinger de ipsa XXI ep. scripsit « non aquam

1. Cf. L. Muel, *loc. cit.*

aquae, nec lac lacti similius videri, quam haec carmina reliquis Ovidii poematis et imprimis prioribus illis epistulis. » Neque aliter de hac quaestione sentit doctissimus Loers qui diuturnum studium in has Heroides contulit et omnes censet e dulcissima Ovidii vena fluxisse [1]. Nempe in aestimanda poetarum oratione circumspectum adhibendum est iudicium, nec voculam aut phrasin raram etiamque ἅπαξ εἰρημένην statim damnare licet. Nam si haec facultas commentatoribus concedatur, nescio an plurima carmina temere delenda et abicienda sint. Vide quid de nostratis Racinii aut Paschalis etiam oratione saepius recidere et mutare voluissent grammatici, nisi codicibus cohibiti fuissent; nonnunquam enim eruditi viri, strictam sermonis legem observantes furorisque poetici obliti, audaciores voces et praefulgentia lumina, quasi vitiosa, emendare cupierunt.

In hoc quaestionum genere una salus est, si veterum auctoritatem et codicum testimonia amplecteris et tenes; quae quidem eorum sententiae repugnant qui Epistularum partem Nasoni detrahere conantur. Cum enim antiqui omnes grammatici nihil dubium fecerint quin tota series Ovidiana esset, neque ullum vel minimum indicium de nescio quo alio auctore compertum habeamus, recentiorum de hac re argumentationes ex fecundis mentibus exortas esse et minime fidem facere existimandum est. Quidquid igitur a J. C. Scaligero usque ad atrocissimum Lehrsium de spuriis Heroidibus disputatum est, incerto fundamento mihi videtur esse stabilitum. Una sit legitima de harum epistularum fide ambigendi causa, videlicet si non asseveratione inani, sed argumentis et rebus penitus inspectis nullam fere posterioribus Heroidibus cum prioribus similitudinem esse comprobetur; alioquin ego diversa ac tu, si libuerit, asseverare potero et mea vice simillimas eas esse omnes contendere :

facies non omnibus una,
Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum [2].

Equidem fateor, etsi quasdam harum epistularum partes asperiores et fluxas arbitratus sum, nunquam dubius steti quin

1. Loers in edit. Her. Prooem. C. III.
2. Ovid., *Metam.*, II, 13.

omnes Ovidianae sint, adeo et rebus et verbis proprium nescio quid huius poetae videntur redolere. Nam cum materiam omnem inventionemque earum cuiusque, et rerum dispositionem artemque amplificandi, praeterea affectatum cupidius fabularum et antiquitatis usum profusumque narrandi et describendi studium, denique totum styli orationisque habitum et tenorem diligenti cura perspexi, Ovidianum colorem referre omnes Heroides visae sunt, et multo mirabiliorem futuram fuisse rem duxi, si duo exstitissent poetae tam fluidi et felicis ingenii quantum in his carminibus exhibetur, ut persuasum habeam esse haec eius cui semper attributa sint.

Iam accuratius introspicere iuvat epistulas de quibus aliquando ambigitur, et quaedam de singulis exponere quae opinionem nostram firmius corroborent. Et ut ad XV epistulam transeamus, quae plurimum impugnata est, reicienda eorum est opinio qui hanc Ovidio indignam et a Sabino aut quovis alio adulescentulo scriptam esse censent. Nam primum, ut epistulam quandam Sapphus ad Phaonem a Nasone concinnatam et vulgatam esse evincamus, in promptu hoc est argumentum; in illo enim saepius celebrato Amorum loco versus leguntur conspicui illi, II, 18, 21 sqq. :

> Scribimus..............
> Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
> Dicat, et Aeoliae Lesbis amata lyrae ;

unde manifestum est aut deperditam omnino illam Ovidii epistulam esse et hanc igitur ab audacissimo quidem, sed ingeniosissimo certe poeta recentiore scriptam, aut eandem hanc esse quam composuisse se ipse verbis enucleatis declarat. Quin etiam et responsionem Sabini in eodem loco memorat, cum adiungit, Am., *loc. cit.* :

> Tristis ad Hypsipylen ab Iasone littera venit ;
> Det votam Phoebo Lesbis amata lyram ;

ex quo lectori, qui diligenti studio Heroides pertractaverit, nitidissime liquebit alludere hic poetam pulchro illi Epist. Sap. loco, v. 181 :

Inde chelyn Phoebo, communia munera, ponam,
Et sub ea versus unus et alter erit :
Grata lyram posui tibi, Phoebe, poetria Sappho;
Convenit illa mihi, convenit illa tibi.

Ego quidem, quid sibi velint infensi Ovidio grammatici, nescio; fateor tamen testimonium illud gravissimi momenti mihi videri, adeo ut epistulam prorsus eam, nisi forte argumenta clarissima et rebus firmata contra hanc opinionem afferantur, Ovidianam esse prono animo censeam.

Immo si quis hoc poema intenta mente perlegerit, notum et huius poetae proprium colorem agnoscet, sive totius carminis materiam, sensus, affectus doctrinaeque studium, sive etiam rerum dispositionem et orationis habitum inspexerit. Nam Ovidianum certe est epist. principium, in quo quaerit Sappho an, aspecta littera, statim Phaon auctorem agnoverit, 1-4. Tum absente illo, depingit quam fervido amore ipsa uratur, nec carminibus nec Lesbiadum cura a dolore abstracta, 4-20. Hunc locum praecipue quidam impugnaverunt quod crimine turpi incusetur poetria; at quamvis tota illa criminatio videatur a comicis poetis conficta et vulgata esse, saepius a vetustis scriptoribus turpissimae huius cum puellis consuetudinis accusata est illa et in ipsius etiam fragmentis crebra reperitur amicarum mentio et de iisdem querelae; igitur sive doctrinam sive sensuum et affectuum naturam considero, Ovidianus prorsus esse locus videtur. Neque indignior Nasone sequens, 20-57, descriptio est, quae ad Venerem spectat cupidioremque huius materiae poetam praestat; et cum carmina poetriae ac cantus aestimantur, ista velut Musarum laudatio in studiosissimi nostri vatis ore bene strepit. Argumentum frequenter ab hoc usurpatum agnoscimus, cum deinceps Sappho de acerbae fortunae tenore queritur, 59-71, et vestium cultum se in dolore neglegere declarat, 72-84. Tum in laudanda Phaonis forma nescio quid lyricum sonat epistula, 85-106, et desertae ipsius Sapphus maeror, nuntiata amatoris profectione, aptissimis verbis describitur, 107-120. Iam quotiens in his epistulis feminas audimus somnia somnique gaudia cupidius commemorantes, 120-134, et dierum fastidia describentes cum absentem in notis locis audiunt videntque, 135-156! Deinde fontis sacri

Numen sese poetriae offert et suadet ut Leucadium scopulum, utpote amori medentem, adeat, 157-198. Ad finem epistulam ducit Sappho, Phaonem precando ut citius redeat et impediat ne infelix Leucadiae aquae fata petat, 199-220.

Longior prioribus sane haec herois est; sed quod fusius explicata est, valde hoc decuisse poetam de poetria clarissima loquentem mihi videtur, et totus argumenti tenor Ovidianum morem, virtutes vitiaque, refert. Quin ex ipsis Sapphus poematis petitam esse materiam huius epistulae haud immerito putaveris; nam se inclytissimae illius feminae carmina pertractasse Naso fatetur lasciviamque laudat :

> Me certe Sappho meliorem fecit amicae.
> R. A. 761.
> Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas?
> Tuta tamen Sappho.
> Tr. II, 365.
> Nota sit et Sappho : quid enim lascivius illa?
> A. A. III, 331.

Iam si minutiores res et quidem eas firmissima argumenta praebentes amplectimur, sententiarum singularum ratione perspecta, Ovidiana ars et ingenium in plurimis huius epistulae, ne dicam in omnibus versibus, praefulget. Inter singulos locos et cetera Ovidii carmina comparationem hic instituere et cognationem demonstrare facile esset; eam autem diligentissime peregit eruditissimus De Vries, ita ut manifestum ex eius commentatione [1] fiat unicuique huius epist. loco plures respondere in ceteris poetae scriptis consentaneos et similes versus, et neque arte metrica, neque orationis colore, neque argumenti explanatione indignam hanc Ovidio esse. Si quos gravius offendit elisio syllabae in *m* desinentis in altera pentametri parte, quia a poetis latinis plerumque evitata, ab Ovidio [2] nunquam sit adhibita nisi XV, v. 96,

1. P. 36-118. *Sapphus Epist. ad Phaonem, apparatu critico instructa*, etc. 155 p. Lugduni Batavorum, 1885. Cf. Luniak, *Quaestiones Sapphicae*, Kasani, 1888, p. 68 sqq.
2. Cf. Eschenburg, *Metr. Unt.*, *op. cit.*, p. 15.

Non ut ames oro, verum ut amare sinas,

non tamen inde colligendum est epistulam spuriam esse; fortasse locus aliqua emendatione indiget, qualem proposuit Heinsius « me sed amare sinas », vel Baehrens, qui animadvertit bonos codices non agnoscere lectionem « verum ut », Harleianum vero et Guelferbytanum exhibere « sed quod » ideoque ita emendat: « nos sed amare sinas [1]. » Denique veterem textum non tantum offensionis habere censet N. Barbu [2], ut aliqua medela opus sit, nedum de ipso fonte dubitemus. Displicuit quoque viris doctis illud « rependo », v. 32, in amphibrachy correptum, cum Ovidius *O* finale tantum in disyllabis breviare consueverit; sed licet difficultatem levissima mutatione tollere, quam proposuit Bentley et praefert Sedlmayer, « repende meae », vel Baehrensii lectionem amplecti (*op. cit.*, p. 50), « repende meo », nisi forte placet scripturam traditam retinere « quae, etsi nullo Ovidii exemplo probari potest, non tantum offensionis habet ut emendatoris ingenio opus sit [3]. »

In adhibendis caesuris eandem artem Ovidius in Sapphus epist. atque in ceteris carminibus exhibet, sicut Eschenburg numeris diligenter collatis monstravit [4]. Sed versum 113 Birt (*op. cit.*, p. 390) ab Ovidii usu alienum declarat, quippe qui non odiosam solum praebeat formam sermone post secundam et quartam arsin inciso, sed primo etiam pede spondiacam vocem contineat, id quod non concesserint sibi nisi scriptores caesurarum neglegentissimi. Pone igitur, si libet, « imminuit », quod ferunt multi codices et probat Baehrens l. c., vel « postquam se torpor minuit » quod Vriesio placet, vel etiam insanabilem corruptelam puta. Quid tum? Nihil inde sequitur, nisi depravatam foedissime huius carminis scripturam, minime autem spuriam esse totam epistulam. Igitur quod ad metricam artem spectat, neglegi paucae quisquiliae possunt, et Vriesii sententiam amplector, *op. cit.*, p. 141 : « De metrica arte vix posse aliter iudicari

1. *De Epist. Sapphus ad D. Comparettium litterae*, in Rivista di Filologia a. 1885, p. 49-67. V. p. 58.
2. N. Barbu, *De Sapphus epist.* Berolini, 1887. V. p. 30.
3. Barbu, *op. cit.*, p. 34. Cf. De Vries, *op. cit.*, p. 49.
4. *Metr. Unt.*, *op. cit.*, p. 19.

arbitror, quam iudicet vir in his rebus summae auctoritatis, L. Mueller, qui scribit, *op. cit.*, p. 49, Sapphus epistulam et Ovidii Heroides indubitate genuinas, sive compositionem carminis seu versuum sermonisque artem respexeris, inter se esse simillimas. »

Superest ut de altero Lachmanni dicam argumento, qui nomen Erichthus, v. 139, in sola Lucani Pharsalia, VI, 507 sqq. occurrere et veneficam quandam Thessalicam designare statuit. At demonstrat De Vries, *op. cit.*, p. 136 sq. Erichtho nomen iam multo ante Pompei aetatem exstitisse et igitur cadere totam illam argumentationem qua post Lucanum demum epistulam esse scriptam evinci sit tentatum. Praeterea in melioribus codicibus, Franc. Harl., non Erichtho, sed Enyo, vel corrupte Eritho traditum esse docet N. Barbu, *op. cit.*, p. 37 sq., lectionem autem Eritho mero errore pro « Erinys » a librario quodam scribi potuisse. Hanc sententiam tuitus est quoque De Vries, *op. cit.*, p. 137, et si lectio proposita non admittenda videtur quod « nullum aliud talis Enyus vestigium apud scriptores antiquos reperiatur » (Vries, p. 138), quid obstat quominus hoc nomen Lucanus ipse aut ab Ovidio, ut censet Comparetti [1], aut ab eodem auctore desumpserit, quem Ovidius secutus sit?

Iam ad sermonem huius epistulae veniamus, quem vehementissime inter alios impugnavit Birt (*op. cit.*, p. 388 sqq.) quasi putide inflatum vocumque ac sententiarum iteratarum artificio, frequentato usque ad taedium, plane subditiciam epistulam prodentem. At comprobasse videtur De Vries neque v. 153 *pie* adverbium posse offendere, neque v. 125 in *regionibus* numerum pluralem suo sensu carere, neque v. 53, sicut ex codicibus emendari possit, quicquam esse reprehendendum, nec *gravidae genae* v. 174 vel *ora vigilant sensibus* v. 132 suspicionem movere posse, nec *cruciare pectora mora* v. 212 locutionem esse ridiculam etc. [2]. Igitur statuit vir eruditus ex eiusmodi observationibus, praesertim in misera codicum huius epistulae condicione, nihil posse effici nisi ut censeamus (*op. cit.*, p. 144) textum hic illic

1. *Sulla Epistola Ovidiana di Saffo a Faone*, in Public. del R. I. di studi superiori di Firenze, vol. II, p. 19, a. 1876.

2. *Op. cit.*, p. 142 sqq. Cf. Commentarium his versibus subiectum.

esse corruptum, minime autem totum carmen Ovidio abiudicandum.

Postremo confutatis argumentis quae in hoc carmen prolata sunt, imprimis animadverte quot pulchra et vere Ovidiana in eo emineant. Nam quicumque puro et non praeoccupato animo hanc epistulam perlegerit, statim sentiet quanta ingenii facilitas et orationis venustas in omnibus partibus eluceat, et vix intelleget tantam rei poeticae calliditatem et styli elegantiam inepto cuidam imitatori tribui unquam potuisse. Harum virtutum iam quaedam exempla supra attulimus, cum Ovidii indolem et ingenium certis notis designare conati sumus (c. III, IV). His adicere liceat quae saepe laudatus De Vries indicat, *op. cit.*, p. 145 : v. 11-12, in quibus acumen vere Ovidianum deprehendere quilibet potest; vel v. 51 sq. quibus femineus amor tam ingenue effunditur; tum v. 77 sq. quibus sententia saepe usurpata exprimitur. Animadvertit quoque vir ille elegantiarum peritissimus quantopere cum ipsius Ovidii arte conveniat appellatio illa ad Phaonem, si modo illam difficultatem v. 96, quae levi admodum mutatione possit corrigi, nimis premere nolueris. Denique in summo honore alii quidam loci habendi sunt, praesertim illa dolentis animi querela, v. 137 sqq. vel illa spei et metus pugna pectus puellae dilacerans, v. 175 sqq., postremo versus illi, 215 sq. omnium nitidissimi et vividam rei imaginem ante oculos ponentes :

Ipse gubernabit residens in puppe Cupido :
Ipse dabit tenera vela legetque manu.

Igitur in hac epistula plurimi leguntur versus Ovidiano ingenio dignissimi et sententiae tam ingeniose excogitatae tantaque venustate exornatae, ut infelici imitatori ea omnia tribuere audacior prorsus temeritas sit. Tam apte quoque cum ceteris Heroidibus morum descriptiones, rerum narrationes, fabularum affectatio, denique ironica quaedam explicandi argumenti ratio consentit, ut aut Ovidius aut poeta non Ovidio impar hanc epistulam scripsisse videatur; cum vero tantus imitator ex recentium grammaticorum fecunda mente oriundus sit, quendam alium poetam, sive ex antiquis, sive ex posterioribus, componere hoc carmen potuisse non credo.

De auctore dubitatio moveretur, si non in numero Heroidum haec codicibus relata esset. Nam quod vetustissimis membranis omittitur, neque inter Epistulas eam graece vertit Max. Planudes, et in manuscriptis tantum saec. xv apparet, non quidem hoc loco et ordine disposita, sed plerumque ad calcem operis reiecta [1], minime inde sequitur hanc fraude poetarum Italorum illius aetatis demum epistulis accessisse. Vigere temeraria ista opinio potuit donec in codicibus saec. XIII excerpta ex Heroidibus sunt reperta; sed anno 1843 Schneidevvin a Duebnero admonitus in Mus. Rhen. N. S. III, p. 144, versus epist. Sapphus aliquot protulit qui in cod. Paris. (17903, Notre-Dame 188) inter Her. XIV (Hypermnestrae) et XV (Paridis) leguntur [2]. Eosdem versus, id est 31, 32, 33, 34, 195, 196, quibus etiam adiecti sunt 14, 65, 66, 72, 81, in alio codice Paris. 7647 saec. XIII inveniri docuit Comparetti (*op. cit.*, p. 25), unde corruit ratio eorum qui poetae alicuius saeculi xv artificio compositam hanc epistulam esse contenderunt. Igitur recte haec colligit post Comparettium De Vries (*op. cit.*, p. 2 sqq.) : « cum iam satis superque a multis doctis viris sit demonstratum omnia illa excerpta ex uno eodemque archetypo originem ducere, primumque a viro nescio quo esse collecta saeculi IX vel saltem saeculi X, apparet iam ante saeculum decimum codicem quendam fuisse carminum Ovidii, in quo haec nostra epistula Sapphus ut genuinum Ovidii opus inter Heroidas XIV et XV (XVI) haberet locum. Nec dubium potest esse quin codex ille, continens Sapphus epistulam, itaque longe remotus ab illis codicibus Ovidianis, qui inde a Caroli Magni temporibus divulgari coepti sunt, iam ante tempora illa fuerit scriptus, immo non ita multo recesserit a noto illo archetypo Ovidiano quem saeculo VI vel VII scriptum esse ostendit L. Mueller (De re metr., p. 43 sqq.). »

Alia indicia nuper indagarunt docti viri, quibus probetur hanc XV epistulam antiquis iam temporibus in numero Ovidianorum carminum habitam esse. Nam ex Ausonii scriptis sagacissimus idem Comparetti (*op. cit.*, p. 9 sq.), locos quosdam deprompsit

1. Cf. Sedlmayer, *Prolegom.*, crit. I, et De Vries, *op. cit.*, p. 24 sqq.
2. Cf. Comparetti, *op. cit.*, p. 24 sqq.

quibus collocata est Sappho inter fabulosas puellas sive heroinas, et videtur Ausonius Ovidii exemplum secutus esse. Nempe quae de feminis illis narrantur in Ausonii « *Cupido cruci affixus* », vv. 22, 24, 31, 38, 39 et Ep. XCV, aptissime congruunt cum iis quae in Ovidianis epistulis referuntur, Her. XVIII, 35; XV, 165 sqq.; X, 72, et 103, XI, 3[1]. Praeterea argumento ratiocinationi nostrae sunt et verba grammatici Probi, qui circa saec. IV vixit et in Catholicis scripsit, IV, p. 30, Keil : « *this* tertiae declinationis *this* vel *dis* facit genetivo, haec Atthis, huius Atthidis vel Atthis : sic Ovidius. » Quae verba ad Sapphus epist. versum 18 referri, minime autem Attin, notum Cybeles amatorem respicere, non male collegit Comparetti (*op. cit.*, p. 10); cuius ratiocinationem amplexi sunt De Vries (*op. cit.*, p. 121) et Nic. Barbu (*op. cit.*, p. 17 sqq.). Igitur ab Ausonio et Probo ut Ovidiana lecta esse haec Sapphus epist. videtur. Quin etiam versavisse eam manu et in usum suum excerpsisse manifestus est Auctor Consolationis ad Liviam, quam ante Neronis saltem tempora conscriptam esse viri docti censent[2]; versus autem 106, 204, 241, cum versibus ep. Sapphus 154, 54, 81, apertam similitudinem produnt. His perpensis, cum nullum argumentum rebus firmatum attulerint qui Ovidio hanc epistulam abiudicant, genuinum hoc esse huius opus affirmare possumus. Hoc saltem mihi procul dubio stare videtur, argumenti expositione, sententiarum nexu, orationis elegantia, arte grammatica et metrica non indignam ceteris Heroidibus hanc esse; neque aliud in hac commentationis parte demonstrare propositum nobis fuit.

De hac XV epist. fusius disserui, ut manifestum fieret eam ipsam, quam imprimis spuriam eruditi quidam viri existimarent, non alii atque Ovidio adiudicari posse. De ceteris breviter rem exponam; nam si eandem rationem his adhibere vellem, fastidiosa exstaret disputatio et ad demonstrandam Ovidiani ingenii indolem et peculiarem in componendis Her. epistulis artem supervacanea videri posset. Unum addam, quod studiosus quilibet lector exemplis probare possit, scilicet sententiarum similitu-

1. Leves alias similitudines deprehendit De Vries, *op. cit.*, p. 123, 124.
2. Cf. De Vries, *op. cit.*, p. 124, et Barbu, *op. cit.*, p. 27.

dine, orationis colore, numerisque Nasonis morem in omnibus elucere. Epistularum ipsarum natura, quae germanam huius poetae dictionem et levem ingenii indolem prodit, eas eidem adicit. Artem quoque inventionis ubique Ovidianam, nec non in exprimendis rebus subtilitatem et sententiarum extenuationem agnoscimus. Omnia prorsus, quae in XV prioribusque epist. poetae nostro sollemnia vidimus, in reliquis quoque sparsa reperiuntur. Argumentum enim, ut solet, ex re amatoria sumptum est; fabulae et antiquitas in frequentissimo usu sunt; sensus et motus animi ex eadem pectoris amantis condicione exprompti et summa calliditate depicti; virorum puellarumque ingenia et personarum decor admirabili sane artificio exprimuntur; viget ubique narrationum et descriptionum honor; denique in praestringendis rebus, quae ad veneream voluptatem pertinent, cupidiorem pro consuetudine se Naso praestat, ita ut in omnibus his epistulis eiusdem poetae ingenium et stilum deprehendas. Ille ipse qui detrahere poetae huic Paridis et Helenae litteras conatus est, Al. Bilger (*op. cit.*, p. 123 et passim), quanquam in vitia orationis inquisitorem acerrimum se praestitit, plurimos locos elegantes et Ovidiana nota signatos quidem esse agnovit, sed imitatoris vena effluxisse putat. Argutatio illa videri potest; non enim quivis alius atque Ovidius vel Paridem hunc expressit, qui callidissime rem amatoriam tractat et in adulterium feminam impellit, vel muliebrem Helenae animum adumbravit, quae singulari arte amatoris fervorem supprimit, incitat, et alternis vicibus ipsum in spem desperationemque ante inducit, quam se adulterio paratam innuat. Itaque J. C. Scaliger hanc epistulam Ovidio vindicat his verbis, Poet. VI, VII : « Helenae responsionem frustra simul ac temere amoverunt ab Ovidianarum censu critici; nam et ea spirat vigetque illius ingenium; ac stilus idem, ac nescio an maior in hac sit ars. Etenim per initia tractat causam tanquam iniquam; deinde quasi dubiam; postremo cedit. Sententiae vero in illa divinae, quantas qualesque materia illa pati potest. Quod si qua praeterea videntur curiosis meliora perfici potuisse, iidem meminerint hoc quoque ceteris obici posse. »

Suus etiam Leandri et Herus, suus et idem Acontii Cydippesque epistulis honor est; ea enim inventionis felicitas, id com-

positionis artificium, ea sunt orationis lumina, ut hae ipsae, non minus quam ceterae, Ovidii ingenio dignum aliquid ac simile spirare videantur. In Leandri et Herus, Acontii et Cydippes litteris haeserunt docti quidam viri, quod in his rarior esset fabularum usus; facile tamen ea difficultas expeditur, si personarum harum rationem retinemus; quae certe tam clara patria, quam Paris et Helena, aut Dido, Phaedra ceteraeque feminae non oriundae erant, neque nobilem maiorum condicionem et tam inclyta fata divinumque genus iactare poterant, neque ipsae vitam factis illustribus splendidam et a poetis celebratam habuerunt. Ita apparet solam materiae sterilitatem effecisse ut ostentandae antiquitatis cognitioni opportunitas deesset. Praeterea illud quoque impedivit ne quattuor postremae Heroides doctis illis vetustarum rerum luminibus uberius dispergerentur, quod, propter ipsam harum litterarum rationem, illa ornamenta dispertire poeta cogebatur, ut non in priore epistula absumerentur et in responsione quoque eniterent; ceterum in his, quantum poterat, elucet antiquitatis doctrina.

Quanquam doctorum iudicio non ingenue et temere fides praestanda est, ne in diversas partes miser abstraharis; sed et propria prudentia, lecto libello, interdum refert aliquid iudicare. Nam non grammaticorum solum cohors proelia de quaestionibus hisce miscere solet, sed et idem vir aliquando variat et desultoris in modum per contrarias acies volitat, adeo ut putes consilium unicuique tantum esse receptam sententiam dilacerandi aut saltem leviter immutandi et novum aliquid proferendi. Inde fit ut inter se decertent gravissimi viri, Lachmann cum Loersio, Mueller cum Lachmanno, Diltheyius cum Merkelio; accidit etiam ut idem grammaticus pugnantia secum vicissim expromat. Refert hic eruditissimi viri iudicium de ultimis Her. Epistulis apponere; nam saepe laudatus Diltheyius : « Mutuarum epistularum XVI-XXI, inquit, nulla ab Ovidio est composita. Attamen non solum diligenter se insinuavit in Ovidii lectionem atque artem utriusque epistulae auctor, sed ne potest quidem nisi proxime ab huius aetate afuisse..... Certe eam Lachmanni et Merkelii sententiam, qui tales versus ex Itali nescio cuius officina prodiisse putant, vel una Maximiani imitatio nondum animadversa convelleret, eleg.

I, 254 « parva licet magnum pallia pondus habent, cf. Ovid. XXI, 172, et gravius iusto pallia pondus habent » ; unde probabiliter concludas a Maximiano, prae ceteris Ovidii diligenti imitatore, epist. XXI ut Ovidianam esse lectitatam... Ceterum epist. Acontii et Cydippae duorum sunt aperte auctorum; namque XXI multo inelegantioris et immaturioris est ingenii; probabile vero est inter auctores ep. XVI et XVII, XVIII et XIX, XX et et XXI eandem rationem intercessisse atque inter Ovidium et Sabinum [1]. » Nunc aspice quo pacto illi sententiae consentiat hoc eiusdem viri iudicium, alio tempore et opere prolatum : « Leandri et Herus epistulas, cum arte et elegantia sibi suppares sint, idem poeta potest composuisse videri, qui in hoc genere facultatem Ovidii fere aequiparaverit [2]. » Mihi quidem talibus decretis inter se pugnantibus parum auctoritatis inesse videtur, et iste poeta qui facultatem Ovidii fere aequiparaverit ex grammaticorum mente ortus. Ceterum per medium aevum lectae et pro Ovidiana habitae epist. XXI vestigia non desunt, et testimonium novum addit C. Diltheyius, quod ad Caroli Magni et Ludovici Pii aetatem spectat, his verbis : « edidit post alios nuper Hagenus Theodulphi episcopi Aurelianensis de iudicibus versus, qui ut omnino creberrima lectionis Ovidianae, ita etiam lectarum Acontii et Cydippae epistularum vestigia continent, cf. epist. XXI, 237, et Theod. v. 451 ; epist. XX, 167 et Theod. 644 ; epist. XXI, 4 et Theod. 660 ; praecipue XX, 36, et Theod. 240 [3]. » Apparet igitur, quo maior cura his epistulis impendatur, nova inveniri cottidie testimonia, quibus haec carmina ab antiquis ut Ovidiana lectitata esse constet : ita et Sapphus epist., quae plurimum impugnata erat, quia illi praesidium praestiterunt eruditi viri, tandem in genuinarum Heroidum numero quiescit ; et fortasse alia labentibus annis proferentur, quibus XX et XXI epist., sicut ceteras eiusdem partis, propria Ovidii esse opera confirmabitur, neque iis quidquam nocuisse nisi foedissime deformatum textum.

1. De Callim. *Cydip.*, *op. cit.*, p. 41. Not.
2. *Observ. in epist. her.*, *op. cit.*, p. 7.
3. *Observ.*, etc., p. 21. Cf. infra c. VI.

Ita et XXI epist. praecipue in vetustissimis codicibus truncata profertur, adeo ut duodecim tantum primi versus reperiantur; quae res Lachmannum impulit ut ex ea ceteros versus expelleret, tanquam Itali alicuius fraude fictos. Quid autem inde colligi potest, nisi codices Ovidianos adversissima fata expertos esse? Licet vero plerique post duodecimum versum deficiant, exstant tamen in quibusdam nec spernendis membranis, decimo quinto saeculo manu exaratis, et iam in principe editione exhibentur partes quae in vetustioribus exemplaribus exciderant[1]. Epistulae quoque XVI versus 39-142, qui in plerisque libris et in Planudis versione graeca desunt, quin Ovidio digni sint, nulli dubitandum videbitur, qui venustum eorum colorem, et elegantem luxuriam, virtutes denique ipsaque vitia Nasoni sollemnia inspexerit; ceterum pro Ovidianis partes eas habendas esse locupletibus argumentis viri docti ostenderunt[2]. Ita et XXI epistula iniuria temporis atque interpolatorum audacia pluribus fortasse locis depravata est; quanquam vero et in hac et in ceteris nonnulla reperiuntur quae Ovidio indigna videri possint, non inde efficitur ut pro adulterinis haberi debeant : quasi constans ubique et semper perfectus hic aut quilibet alius poeta in toto carminum tractu permaneat!

Quosdam praecipue offendit diversa posteriorum epistularum ratio, qua scribentis viri litteris aptissime cohaeret feminae responsio. Igitur Iahn aliique docti viri, ut hanc concinnam et quadrantem compositionem explicarent, bis editas esse Heroides contenderunt. Argumento illis fuit, quod in duas partes haec carmina in quibusdam codicibus divisa exstent et XIV prioribus liber primus, et VI posterioribus liber secundus inscriptio sit. At si primum et iterum emendata et vulgata ea fuissent, quae causa esset cur in veterum grammaticorum libris eius rei testimonia omnino deficerent, quandoquidem talia de poetis aliis, ut de Terentio et Apollonio Rhodio, tradita sunt? Quid refert in quibusdam exemplaribus inscriptiones illas legi? Eadem ratiocina-

1. Cf. Loers in edit. praef. et Sedlmayer in *Proleg. crit.*, p. 1.

2. In edit. comment. Naugerius, Van Lennep, I. Iahn, Loers; Sedlmayer vero obliquis litteris eos versus expressit.

tione igitur et in plures libros, si libeat, haec carmina dividere possis, quoniam in gravissimis aliis codicibus liber tertius quoque et quartus, quintus sextusque diversis Heroidum partibus pro titulo est[1]. Scholiastarum haec consuetudo frequentissima est, ut huiusmodi inscriptiones veterum poematis praeficiant et epica tragicaque carmina, non minus quam elegiaca, in libros aut actus distribuant. Ceterum nullum huius divisionis vestigium in Ovidianorum codicum gravissimis et plurimis apparet.

Ultimum, ut quidam censeant sex illas quadrantes Heroides post quindecim priores compositas esse, argumentum est, quod longe deteriores sint, atque nimia loquacitate et omnino omnibus vitiis laborent quibus Ovidius virili aetate se contaminari passus sit. Equidem harum nullam deteriorem prioribus habendam esse, ut supra dixi, existimo, neque inter virilia et iuvenilia carmina discrimen, quod ad poeticas laudes pertinet, magnum invenio. Loquacitas enim, rhetorum pigmenta, nimium sibi indulgentis poetae vitia, descriptionum narrationumque copia, fabularum et antiquitatis luxuria, orationis denique subtilitas luminaque, et in prioribus huius carminibus et in iis quae virili aetate scripsit, aeque animadverti possunt; sunt etiam quaedam opera, sicut Fasti et Metamorphoses, quae et prioribus et posterioribus gravitate atque inventionis laude praestare optimo iure censeas. Tum in quindecim illis epistulis et in sex reliquis, necnon in ceteris Nasonis carminibus, eaedem virtutes enitent, prorsusque ex eodem ingenio fluxisse omnia iuvenilia viriliaque videntur. Quoniam igitur nullum a doctis viris ad labefactandam hanc opinionem argumentum allatum est nec fortasse indagari potuit, omnes Heroidum epistulas ab Ovidio conscriptas et eodem tempore editas esse malim contendere. Et si cui alia opinio probabilior videtur[2], eam quidem impugnare non in animo nobis fuit, dummodo concedatur posteriores heroides non dissimiles fere prioribus esse, immo argumenti tenore, narrationum aucupio, scribendi arte, denique sollemnibus virtutibus vitiisque Ovidiana nota signatas.

1. Cf. Sedlmayer, *Proleg.*, p. 11, p. 103.
2. Cf. supra c. I quae protulit J. Heuvves.

CAPUT VI

DE HEROIDUM PROBATORIBUS ET IMITATORIBUS.

Ovidium mature se famae et posteritati inseruisse inde manifestum est, quod post eius statim mortem rerum scriptores et eruditissimi viri, quales Velleius Paterculus, Seneca, alii[1], laudibus illum eximiis sustulerunt, et deinceps nunquam defuerunt qui principibus inter Latinos poetis hunc annumerandum esse contenderent. Quem locum vero Heroid. Epistulae in prudentium studiis tenuerint, certis indiciis statui potest. Nam vix illae in lucem prodierant, cum pluribus carminibus responsiones concinnavit poeta Ovidio aequalis, de quo in editione Veneta, an. 1486, haec leguntur : « A. Sabinus, eques Romanus celeberrimus vatesque, Nasonis temporibus floruit. Qui has omnes responsorias et alias edidit, quae non reperiuntur. » De ipso hoc viro, praeter haec, nihil memoriae ab Ovidii aetate proditum est, videlicet quia mediocris huius ad poeticam artem facultas exstitit. Naso autem benigne et copiose duobus carminibus eius mentionem fecit, Am. II, 18 et Epist. ex Ponto, IV, 16; ex quibus cum virorum nomine Heroidibus rescriptum ab hoc, tum alia poemata, dierum scilicet opus sive Fastos, et Troezena, sive epicum quoddam tragicumve carmen, scripta esse liquet :

Et qui Penelopae rescribere iussit Ulixen,
Errantem saevo per duo lustra mari;
Quique suam Troezena imperfectumque dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus.

De huius poetae vita scriptisque quid sentiendum sit et pro certo aut saltem probabili haberi queat, doctissime disputavit inter alios J. Chr. Iahn in libello academico qui inscriptus est : De P. Ovidii et A. Sabini epistulis disputatio, Lipsiae, 1826; ad quem se conferat, c. II, p. 19 sqq. si quis totam quaestionem

1. Vel. Pat. l. II, c. 36; Sen., *Quaest. nat.*, III, 27, V, 16, *epist.*, 115. Cf. Quint., l. X; Martialis, *epigr.* V, 10, VIII, 63; Statii *Silv.*, II, 7.

tenere cupiat. Nam proposito nostro satis fuer ,taddere nullam ex Sabinianis epistulis superesse. Ovidianas vero heroides nunquam in oblivionem decidisse ex eo liquet quod imitationes ex his adumbratas statim in Drusi Epicedio, deinceps in Probi Catholicis, in Ausonii scriptis, aliis, deprehenduntur (cf. supra c. V). Tum in componendis ad Ovidii exemplum heroidibus nonnunquam versatos esse iam a primis saeculis poetas constat. Nam epistularum scriptorem III post Chr. n. s. Iulium Titianum Sidonius Apollinaris, ep. I, 1, commemorat; epistulam quandam Didus ad Aeneam ex codice Salmasiano, saec. VII-VIII, deprompsit Riese et in Anthologia, n. 83 edidit[1]; denique epistulam Deidamiae ad Achillem in cod. Parisino n. 2782 saec. X exstare testis est O. Iahn (vol. I, p. 8[2]). Posterius per medium aevum haec Nasonis carmina innotuisse luculentis argumentis demonstratur, adeo ut nullis temporibus ea manibus legentium excidisse putes. Nam iam a Caroli Magni aetate Epistulas una cum ceteris Ovidii poematis lectitatas esse testimonia (cf. supra c. V) ex vetustissimis illorum temporum manuscriptis eruditi viri eruerunt. Ita in membranis saec. XII aut XIII incipientis, quibus de re grammatica et metrica latine tractatur, versuum 2 et 83 Her. I mentio[3] invenitur (cf. Not. et Ext. t. XXI, p. 444 et 384); translatas etiam in veterem linguam gallicam Heroides esse indicia reperiuntur (cf. P. Paris, les Manuscrits franç. 7, 47 et 2, 318; K. Bartsch, *op. cit.*, XVI). Neque mirum est bene notas Epistulas fuisse, cum omnia Ovidii opera summa gloria per medium aevum circumdata esse constet; et si maior honor fortasse Metamorphosesi fuit, quas narrationibus ad mores pertinentibus accommodatas quattuordecim manuscriptis apparet[4], nunquam desierunt periti librarii

1. Cf. Comparetti, *Virgilio nel medio evo*, c. X, p. 206.
2. Cf. Sedlmayer, *Proleg. crit.* in fine.
3. Ad hanc quaestionem illustrandam perutiles fuerunt hi libri : Karl Bartsch, *Albrecht von Halberstadt und Ovid in Mittelalter*, Quedl. und Leipsig, 1861, CCLX.-501; *Histoire littéraire de la France*, t. XVIII, XXIII, XXIX et passim; *Notices et Extraits des Manuscrits*, t. XXI, *passim*.
4. Cf. Gaston Paris, in *Hist. litt.*, XXIX, p. 455-525, ubi *de Ovidii imitatoribus tractatur*, inter quos G. Legouais, Maître Elie, etc.

Amatoria carmina legere et exarare; et tantum Ovidii studium erat ut mirandus quidam monachus xv. s., postquam Remedia A. transcripsisset, haec candidus addiderit (ms. 8217. Not. et Ext. *op. cit.*, XXIX, p. 240) : « Explicit Ovidius de Remedio A., quem ego frater Bertrandus Ginesse, ordinis fratrum minorum conventus Rhutenensis, scripsi in vigilia Conceptionis B. Mariae. Incepi quidem ipsum scribere hora quinta de mane et finivi eadem die hora undecima ante mediam noctem, an. dom. 1467... Ad laudem et gloriam V. M. Amen. » Ovidii igitur et carmina amatoria et Heroides non mirum est lectitasse turbam illam cantorum, qui Provinciales dicuntur atque vetere lingua Gallica aliquid recitabant aut scribebant. Ideo viros vel feminas qui in Epistulis locum obtinent commemorarunt inter alios Guiraldus de Galansone[1], Auctor Fabulae quae dicitur Flamenca[2], Christianus de Trecis in Erec 7551, Auctor Fabulae quae dicitur Rosa[3]. Tum apud Germanicos eadem prope tempestate heroides in honore fuisse constat, quoniam illarum puellarum nomina referri a Conrado in *Troianerkrieg* 787, 795, 22141, et passim, et ab aliis docet K. Bartsch, *op. cit.*, p. XIX-LIV; ex cuius disquisitionibus elucet omnes Ovidianas heroinas praeter Sappho per medium aevum innotuisse.

Iam eos, qui illis temporibus litteris latinis imbuti essent, et cetera Nasonis carmina et Epistulas coluisse testimonia adsunt; nam Vincentius Bellovacensis (cf. *Hist. litt.*, XVIII, p. 449-519) in *Speculum historiale*, 6, 106-122, tabulam Ovidianorum scriptorum hanc profert : « De Ovidio poeta et scriptis eius. Eo tempore legitur Ovidius Naso floruisse, qui scripsit multos libros metricos, ex quibus sunt de Nuce libellus unus, invectiones in Ibin, epist. lib. I sine titulo (Heroides), libri 3 (Amores), de Arte Amandi lib. 3, Metam. lib. 15, de Fastis lib. 6, de Tristibus lib. 5, de Ponto, lib. 4. De his omnibus pauca eleganter dicta et ea praecipue quae moralia videntur excerpere et his inserere

1. Cf. K. Bartsch, *Denkmäler der Provenzalischen Litteratur*, Stuttgart, 1856, p. 98, 17 et passim. Cf. *Albrecht von A.* p. XX.
2. Cf. Raynouard, *Lexique roman*, I, 9 et 10.
3. *In oratione matronae ad puellam*; Io. de Meung, 13316 sqq.

volui. » Petrus de Vineis, Friderici secundi cancellarius, cum pro domino suo coram populo et imperatore an. 1239 peroraturus esset, duos versus ex Her. epistulis depromptos usurpat, V, 7 :

Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est :
Quae venit indigno poena, dolenda venit[1].

Ovidius igitur manibus omnium versatur qui se litterarum studiosos profitentur, nec sui Heroidum epistulis desunt amatores, inter quos supereminet ille poetarum princeps Dantes; nam ex pluribus locis liquet hunc Nasonis interdum vestigiis institisse, et Phyllidis a Demophoonte deceptae Iolesque ab Hercule dilectae mentio in Divina Comoedia est[2]. Neque mirum illud, si eius magistro, Brunecto Latino, gratissimum fuisse Ovidium animadvertis[3]. Inter Britannos, Chaucer (E. R. Bell. 6, 206 et 8, 53) et Govver in libro qui dicitur *Confessio amantis*, 3, 361, Ovidianarum heroidum plerasque referunt (cf. Bartsch, *Albrecht*, *op. cit.*, XVII-XVIII). Quantus denique in eruditorum virorum existimatione ea tempestate Ovidius fuerit, vel inde iudicari potest, quod saeculo decimo quarto a M. Planude quaedam huius opera ex latino in graecum sunt conversa; translatae tamen Heroides codicibus manuscriptis adhuc inclusae sunt[4], cod. Bibl. Paris. 2848 chartaceo, saec. xv exeuntis.

Elucet quoque Ovidii fama ex eo quod Epistulis praemissa exstant in codicibus metrica et soluta oratione argumenta, quae ex uno eodemque fonte, scilicet ex tractatu quodam vel Commentario in Heroides scripto manasse censet Sedlmayer; nam codice Vindobonensi servata sunt huiusmodi commentarii fragmenta[5]. Denique ipsa membranarum manu exaratarum depravata toties et varia scriptura, quam testantur plures insiticii et spurii versus[6], Her. Epistulas studiosorum manibus saepissime esse versatas docet. Postremo commemorandae sunt tres Sabini nomine

1. Michaud, *Biographie universelle.*
2. *Purg.*, XXVIII, 73; *Parad.*, IX, 101.
3. *Li Livres dou Tresor*, P. Chabaille, Paris, 1863, l. I, p. v, c. CLXII; l. II, p. II, c. LVI et LXXII.
4. Cf. Dilthey, *De Call. Cyd.*, *op. cit.*, p. 136.
5. *Proleg. crit.*, *op. cit.*, p. 101-103.
6. Cf. Gilbert, *op. cit.*, 27 p.; G. Peters, *op. cit.*, p. 16 sqq.

inscriptae Heroides, quas, cum olim A. Sabino tribuerentur, his sane temporibus ad Angelum Sabinum, poetam Italum s. xv referendas esse planis argumentis demonstravit O. Iahn in Diar. antiq. litt. a. 1837, p. 631. Eandem Ovidianam imitationem prodit elegia quae dicitur Complanctus Phaedrae de Hippolyti recessu et a Petro de Lunesana a. 1414 composita est[1].

Cum typographica ars in lucem prodiisset, Ovidii carmina inter prima Latinorum opera numerantur, quae typis mandata sunt; nam editio princeps operum, Romae a. 1471, duobus voluminibus in fol. comprehensa, ex recognitione Io. Andreae Al. vulgata est, eodemque anno Bononiensis quoque editio, a Francisco Puteolano accurata, Ovidianas Her. Epistulas inter cetera carmina impressas protulit; deinceps vero cum reliquis operibus collectae aut seiunctae illae meritam sane editorum et emendatorum curam in se converterunt[2]. His operam strenuam navarunt eminentissimi in litteris viri, Aldi, Naugerius, Micyllus, Bersmannus, Heinsius, Burmannus, omnesque in praefationibus ingenium, suavitatem, colorem artemque harum epistularum exquisitissimis verbis laudaverunt. Postremo apud recentiores ad illustrandos et emendandos difficiliores Heroidum locos plurimum neque incassum laudatissimi insudarunt inter Gallos Amar, inter Germanos, Iahn, Loers, Merkel, Sedlmayer, alii, quorum opera et commentariis resanatus omnino et perpolitus Ovidius studiosis contigit. Una fuit omnibus sententia, eademque admiratio quam Guido Morillonius disertissime in dedicatione editionis suae, 1516, effundit : « Cum superioribus diebus a dialecticorum maeandris mentem relaxarem, sacrum illud Musarum deversorium repetens, in Heroides illas Ovidianas forte incidi. Dii boni, quam multiplici eruditione refertas, quam lepidissimis salibus concinnatas! Omne tulit punctum, ut inquit Flaccus, qui miscuit utile dulci. Quod quidem aut nemo, ut puto, aut noster hic Naso est assecutus : qui ita seria mellitis figmentis, figmenta seriis miscet, ut satis nescias plusne utilitatis aut

1. 148 versus. Edidit Sedlmayer in *Proleg. crit.*

2. Cf. Index edit. Lemairianae appositus; Teuffel, *op. cit.*; Sedlmayer, *Proleg. crit.*, p. 1, n. 19 sqq.

voluptatis prae se ferat. Quod cum nonnunquam egregie fecerit, in Epistulis praesertim singulari quodam modo mihi fecisse videtur. »

Tum ad transferendas et versibus et pedestri sermone Heroides ex latina in recentiores linguas iam pridem eruditissimi viri, Itali, Galli, posteriusque Hispani, Portugalli, Angli, Germani aliique varia fortuna se accinxerunt[1]. Eas attento animo Racinius nostras perlegerat, et nonnullos in huius tragoediis locos ex Epistulis adumbratos odoratus est nasutus existimator[2]. Denique iam a primis recentioris aevi aetatibus, Ovidii exemplum secuti, nonnulli ingeniosi viri Heroidum genus retractarunt. « Epistulas Heroidum Ovidii exemplo effinxere latino carmine Eobanus Hessus, Balduinus Cabilavius, Io. Meursius, et in sacrarum Heroidum libris Claudius Espencaeus. Didonis ad Aeneam epistulae respondit Nic. Heinsius, p. 211 poematum; Phaedrae ad Hippolytum Sidronius, S. J.[3]. »

Denique hoc carminum genus imitati sunt ex recentioribus multi[4]. Quondam enim poetis quibusdam libuit in una et altera Heroide lascivire; quo pacto clarissimus ex Anglis Pope epistulam Heloissae ab Abaelardum composuit, in qua pectoris amantis affectus et dolores exquisita arte descripti sunt. Non mirum autem est poeticis omnibus coloribus hanc esse pictam, cum quia argumentum sollerti iudicio delectum fuerat, utpote ad hoc carminum genus plane accommodatum, tum quod ipsa personae huius litteratae natura et indoles, non ex heroico aevo sed ex recentioribus temporibus sumptae, epistulam amatoriam felicissime admittebat. Haec in Gallicam linguam libera imitatione translata a nobili quodam poeta[5], renovandi huius carminum generis quasi signum fuit, unde plures heroidum et heroum epistulae eruperunt, quae tamen magna parte non vulgatae sunt, et merita oblivione obrutae iacent[6].

1. V. in edit. Lemair., vol. VIII, notitiam litterariam.
2. Nageotte, *op. cit.*, p. 277.
3. V. in edit. Lemair., vol. VIII, p. 362. *Not. litt.*
4. V. in edit. Lemair. *Notit. litt.*, p. 361.
5. V. Colardeau, *Opera.*
6. Cf. Laharpe, *Opera varia et Heroid.* Praefationem.

CONCLUSIO

Ex ista poetarum turba, qui se ad scribendas Heroid. epistulas accinxerunt, unus multo dignissimus Ovidius est quem litterarum studiosi diligenti manu versent, ut qui huius carminis inventor et idem perfectissimus scriptor exstiterit. Nam quod apud Propertium invenitur Arethusae ad Lycotan, aut Corneliae ad Paullum epistula, non ex hoc tenui principio fluxisse illud poeseos genus, neque magis ex aliquo graeco fonte manasse existimo; sed cum Naso ingenii indole ad elegos propensus esset et in tragoediis scribendis, quo tempore hae Epistulae compositae sunt, versaretur, ideo ad excogitandum hoc poeticum genus choris et fabulis Graecorum, praecipueque μονολόγοις impulsum eum esse censeo, praesertim cum huiusmodi carmina et scholasticas rhetorum consuetudines referrent et publicis lectionibus optime essent accommodata.

Arellii enim Fusci et Porcii Latronis officinis informatum Ovidianum ingenium in omnibus plane Heroidibus eminet, ita ut non harum ulla huic abiudicari possit. Nam neque in sermone, neque in numeris totoque dicendi genere quicquam vitiosius uspiam inveneris quod illo poeta omnino sit indignum ideoque spurium carmen prodat; immo emunctis naribus iudicanti omnes illae Epistulae videri possunt eadem manu effictae esse, sive argumentum, inventionem, fabularum narrationes, descriptiones, sive sententias affectusque, sive denique totius orationis tenorem intueris.

Sibi enim constat Ovidius cum hoc carminum genus tractat, quod in re amatoria versabatur. Praeterea cum ille nimium sui amator esset, atque mentis vi et intentione induere personas nequiret quas descripturus esset, ideo eius ingenii lineamenta, scilicet nitidam facilitatem, leporem, urbanitatem lasciviamque in omnibus epistulis deprehendes. In depingendis vero amantium moribus affectibusque, dulcioribus praecipue, sed nonnunquam et gravibus incitatisque, eminere Ovidium fatebimur. Feminas illas quidem velles minus delicatas esse et non expolitas ad

recentiorum effigiem, sed ad gravitatem et simplicitatem Homerici aevi adumbratas; attamen adeo variegata est illis facies ut omnes fere puellarum amantium species ante oculos nostros transeant, neque quicquam artificiosius et uberius desideres.

Amabile sane Ovidianum semper est ingenium et eximiis virtutibus praeditum, in hoc tantum vitiosum quod frenis coercerci nescit. Quoniam enim parum temperans erat poeta, copia et facilitate abreptus excurrebat, neque in clivo retineri poterat quo a rectis ad prava deflectitur. Carpendus est igitur Naso quod heroicae istae feminae adeo ab antiqua gravitate discedunt, ut contra lasciviores et voluptatis cupidiores se praestent. Praeterea litteris nimiis imbutae sunt, quippe quae totam fictarum vetustarumque rerum doctrinam congessisse videantur atque in epistulas incaute effundant; garrulae etiam nimiaque loquacitate effutientes et quas, controversiis et suasoriis exercitatas, ex rhetorum umbraculis alacriter evasisse dicas ut vires suas et recondita artificia experirentur.

Non igitur mirum est in Epistulis ita procedere Ovidium ut vitia radat nec raro in scopulos impellatur; ideo et vim in sententiis et gravitatem in narrationibus ac descriptionibus nonnunquam desideres; et pariter in oratione repetitiones lususque verborum aut contrapositorum atque quadratorum acumina putidumque leporem resecare saepius velis. Quid tum? Omnia ista, maculae naevique, vix tunc aspiciuntur, cum attento animo oculisque singulas carminum partes rimamur; nam si morosi grammatici studium voluntatemque in legendis Her. Epistulis dimittis, tot tantisque dicendi virtutibus et omnis generis praestantiis vitia involvuntur, ut prope tibi evanescant et flumine orationis abripiantur, adeo splendidus est carminum color, illustres translationes, similitudines et exempla, atque effusa aequaliter suavissima et laetissima lux, unde efficitur ut res prope oculis subiciantur. Praeterea fluidam puramque orationem miramur, quae nusquam adhaerescit, ita ut liquidius faciliusque nihil requiramus; quae tamen interdum, si res argumentumque petit, una cum sententiis affectibusque incitatior fertur, raucisque etiam fluctibus assurgit, et tragicum nescio quid sonat. Denique sermo sincerus, luculentus et idem gravis est, numerique poetae

in promptu omnino sunt flexibiles et concinentes; quanquam vero mollissima ad versus lenitatem verba usurpantur, non deest illi felicissima in eligendis novandisque vocabulis et conformandis sententiis audentia, ita tamen ut severis legibus astricta carmina quasi normam distichi constituerint ne varietur; prorsusque adeo sibi constans virtutibus vitiisque in his carminibus apparet poeta, ut luculentissimam cognationem eiusdemque artificis manum ubique agnoscamus.

Itaque quocumque circumspexi, Heroidum Epistulae fontem ceterorum Ovidii operum videntur continere, et ipse poeta talis iam elucet qualis insequentibus carminibus eminebit; ita qui eas diligenter evolverit, illum postea neque Amorum Artisque Amatoriae nequitiae, neque copiosae Metamorphoseon fabulae, neque abstrusa Fastorum doctrina novae atque ignotae deprehendent. Quamobrem non immerito ab eruditissimis viris semper et laudes in Heroid. Epistulas esse congestas et curas ad illustranda sanandaque carmina impensas existimo; neque ingratum et supervacaneum ego laborem duxi quem suscepi ut carminum horum virtutes vitiaque explanarem; laetaborque si non imprudenter aestimasse visus ero quid ferre valerent umeri.

FINIS.

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XVI kal. jul. ann. MDCCCXCV;
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur;
Academiæ Parisiensis Rector,
Gréard.

MATISCONE, EX TYPIS FRATRUM PROTAT